



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus XIII. De Restitutione Spoliatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62656)

mulatio post conclusionem in causa ab a-
ctore exigeretur ex iusta causa, v.g. cum
perspicuis indiciis redarguitur iniquitas
invasoris vel possessoris, vel dominium
seu proprietatem probandi facultas ab
adversario est subtracta, occisis testibus,

vel combustis, aut aliter subtractis instru-
mentis, per quae de illis fides fieri posset,
hoc enim casu ab illo propositam Posses-
sorii cum Petitorio cumulationem ad-
mitti, aequitas postulare, Vivianus in c.
Pastoralis cit. in fine.



TITVLVS XIII. De Restitutione Spoliatorum.

Multa à cæteris Possessoris ju-
diciis diversa & peculiari con-
sideratione digna habent cau-
sæ, quæ pro possessione Recu-
peranda, sive Spolii restitutione, in judi-
cium deducuntur; ut proinde illorum ge-
nerali specialis istius pertractatio meritò
subijciatur.

ARTICVLVS I.

Regula de Spoliati Re- stitutione.

SUMMARIUM.

1. Spoliatus quis dicatur.
2. Regula de eo ante omnia restituendo,
3. Sive sit actor, sive reus,
4. Præsertim spoliatus re litigiosa.
5. Regula ratio,
6. Et modus faciendæ restitutionis:
7. Quam petens probare debet posses-
sionem,
8. Et violentam dejectionem,
9. Vel clandestinum ingressum in illam
vacantem.

10. Restituendus etiam est spoliatus heres:
11. Etiam contra heredem spoliatorum:
12. De Jure Canonico etiam contra pos-
sessorem singularem,
13. Conscientiam antecedentem spoliationis:
14. Secundum aliquos contra bona fidei
possessorem:
15. Quod, licet receptum Praxi,
16. Jure tamen non est expressum:
17. A iudice incompetente,
18. Et à competente contra judicialiter,
19. Non judicialiter procedente spoliatus
restituatur.
20. Nisi sententia contineat vitium sub-
stantiale.

Spoliatus hoc loco dicitur, qui pos-
sione rerum corporalium im-
mobiliū, aut incorporalium quali
possessione vi aut clam, iniuste vel
indebite est dejectus, *can. 1. Ec. 3. q. 1. c.*
In literis 5. c. Item 6. Ec. hâc Rubric. l.
1. §. 9. & 24. ff. de Vi armata. De quo
Regula generalis est, Spoliatum ante
omnia restituendum, *can. cit. c. fin. de*
Ord. cognit. c. In literis cit. l. 1. cit. §. 31.
non reum duntaxat, sed & actorem *c. fin.*
c. Item cit. c. Conquerente 7. Ec. ut quan-
tumvis

sumvis aliàs melior conditio sit rei, *l. Favorabiliores 125. ff. de R. J.* & actori, nisi super exceptionibus suis auditus, non condemnatur, *l. 1. C. de Probat.* in hoc tamen possessionis Recuperandæ iudicio, spoliati etiam actoris, illam postulantis, causa favorabilior, & restitutio faciendæ sit, antequam reus super aliis, quàm actori oppositæ spoliationis, exceptionibus suis audiatur, *cit. c. fin. c. Conquerente, in fine l. 1. V. Sed post, C. Si per vim Sc. & l. Si quis 7. C. de Vi publ.* Neque in eo locum habeat Regula, quòd dolò faciat, qui petit, quod est restitutus, *l. Dolo §. ff. de Doli mali except.* sicut locus ei est in Possessorio Adipiscendæ vel Retinendæ, Valenti. *ad hanc Rubr. §. 4. n. 1.*

4. Atque huic in spoliatoris odium & spoliati favorem proditæ Regulæ locus vel maximè est casu, quòd quis rei possessione dejectus est, lite super ea pendente; quia eò tempore facta spoliatio gravior & magis odiosa est eà, quæ extra iudicium fit, ut cum Ripa in *l. Naturaliter 12. §. Nihil 1. ff. de Acquir. poss. n. 68.* & Jalone *ibid. n. 31.* tradit Menochius *Recup. remed. 17. n. 28.* quia huiusmodi spoliatio Jus, iudex, & pars simul offenduntur, ut dicitur *c. 1. in fine, de Appellat. in 6.*

5. Ratio autem Regulæ est; ut consultatur Reipublicæ quieti & tranquillitati, cui nihil magis adversari legum conditores existimârunt, quàm violentam & propriâ autoritate factam rerum occupationem: quam propterea ad eò detestati sunt; ut spoliatores ante plenam restitutionem noluerint audiri. Quâ ratione (quod æquitati Naturali omnino conforme est) quam factò suo legem in alterum statuit, ipse patitur Spoliator; cum, sicut contra Juris ordinem rei possessione alterum spoliavit privatâ, ita, non discusso ipsius jure, spoliatus publicâ autoritate restituatur, secundùm *l. 1. ff. Quod quisque juris Sc.*

6. Facienda autem est spoliati restitutio non qualiscunque, sed plena; ut non solum res principalis, sed etiam accessoria restituantur cum omnibus fructibus, qui à spoliationis factæ die percepti sunt, vel percipi à spoliato potuerunt: atque insuper resarciantur omnia damna, & refundantur expensæ, & pro injuria satisfactio exhibeatur, *c. Gravis 11. Cl. 1. §. 31. Ec. ff. de Vi armata,* usque ad ultimum quadrantem; ut, si etiam nummus spoliato ablatu deficeret, respondere spoliatori non teneatur, aut iste excipiens non audiatur, ut vult Baldus in *c. Conquerente cit. n. 1.* quia æquum omnino est, ut Spoliatus tantum, quanti ejus interest, consequatur; cum, ut dici solet, mensura restitutionis, à malæ fidei possessore faciendæ, sit magnitudo læsionis, sive quantitas damni alterius; ut, quatenus læsus est, eatenus restituatur, ut cum S. Thoma 2. 2. q. 62. art. 6. Molina *Tract. 2. disp. 723.* & aliis docet Laiman in *c. Gravis cit. n. 1.*

7. Ut huiusmodi restitutionem, qui eam tanquam Spoliatus petit, consequatur, duo ab ipso probari, necesse est secundùm textum & Glossam *c. Consultationibus 10. ibi, Possessionem & dejectionem de Offic. deleg. & Menoch. Recup. remed. 15. à n. 383.*

Primum est possessio, sive se spoliationis factæ tempore in possessione vel quasi fuisse, *c. cit. c. Ex parte 14. c. Olim 17. Cl. 1. §. 23. ff. de Vi armata.* Ratio est; quia restitutio dari non potest, nisi præcesserit spoliatio, *c. Accepta 3.* quæ est privatio possessionis vel quasi: privatio autem supponit habitum ejus, quòd privat, *l. Non potest 208. ff. de R. J.* Unde mulieris tanquam uxoris suæ restitutionem ad thorum & cohabitationem petens probare debet, matrimonium cum ea contractum & consummatum fuisse, *c. Ex transmissa 8.*

missa 8. quia per consummationem acquiritur plena possessio conjugis: & petens restitutionem beneficii Ecclesiastici, se esse clericum; quia aliàs possessionis ejusmodi beneficii capax non esset, *c. Ex literis 6. de Transact. & c. In Ecclesia 2. de Institut.* Ob eandem causam reus super spoliò, sive possessionis recuperandæ Interdictò, conventus actoris intentionem elidit, & absolvitur, si assertæ spoliationis tempore se, non actorem, possedisse probet; cum sine possessione vera dejectio, seu spoliatio non detur, *l. Si quis 17. ff. de Acquir. possess. Gonzalez in c. Olim. cit. n. 7.*

8. Alterum, quod super spolio agens probare debet, est, se de possessione vel quasi injustè aut indebitè dejectum, vel saltem .ne liberè possideret, prohibitum fuisse, *c. Pisanis 19.* & quidem ab adversario, vel alio de ipsius mandato, vel saltem ipsius nomine ab alio factam spoliationem ab ipso ratihabitam fuisse *c. Cum ad sedem 15. & l. 1. cit. §. 12. & 14.* ut adeò in delicto hoc & quoad restitutionem ratihabitio mandato comparetur, secundum *Reg. 10. in 6. Glossa in §. 12. cit. V. Ratum, & Perez in C. Unde vi n. 6.* Nisi agat remediò possessoriò, ab Innocent. III. in Concilio Lateranensi introductò & *c. Sape 18.* relatò; istò enim agens spoliatus restituitur, si probet, se possedisse spoliatumque fuisse: & modernum rei possessorem spoliationis antecedentis, sive rem vitio violentiæ affectam, esse conficium, Vallens. *ad hanc Rubric. §. 1. n. 4.* & Barbosa *in c. Sape cit. n. 2.*

9. Violento spoliatori quoad restitutionem æquiparatur & Unde vi Interdictò tenetur, qui alterius possessionem, quòd is huic nec civiliter nec naturaliter, aut saltem naturaliter non insisteret, vacantem ingressus quasi propriam sine auctoritate judicis occupavit; sicut enim violentus in vasor & prædo, ita hujusmodi usur-

pator, à domino vel possessore vero, ejus, vg. nemine custode relicto, ad nundinas profecti, aut fortassis ab alio vi dejecti, possessionem ingressus est, conventus rem, sive illius possessionem cum omnibus accessoriis restituere tenetur: quantumvis eam sine vi ingressus, & violentiæ, domino vel possessori ab alio fortassis illata, omnino sit ignarus: quod noviter constituit Justinianus *l. fin. C. Unde vi, ad id decernendum permotus eà ratione; Quid omnes scire debeant, quod suum non est, hoc ad alios omnibus modis persinere.* Accedit; quòd ita magis consultum sit dominis: qui, quòd antè actionem solum realem haberent, & in dominii seu proprietatis sæpe difficili probatione deficerent, rerum suarum, dum ipsi abessent, ab aliis sine judicis auctoritate occupatarum, dominio non raro decidebant, ut Bruneman *in l. cit. à n. 5.* notat cum Salyceto *ibid. n. 3.* Menochio, lege proditum possessionis recuperandæ remediò late explicante *Recup. remedi. 13. à n. 4.* & Covarruvia *Lib. 3. Var. cap. 16. n. 7.*

Non solum ipse Spoliatus, sed ejus quoque hæredes & ceteri successores, postquam rerum hæreditariarum possessionem assecuti sunt, restituuntur, *l. 1. §. 44. ff. de Vi armata;* quia interdictum Unde vi, sive actio, quæ spoliis restitutio petitur, ex maleficio seu delicto descendit: cujusmodi actiones hæredibus non denegantur, §. *Non solum 1. V. Sed hæredibus, Instit. de Perpet. & Temp. act. & merito;* quia hæres succedit in omne jus defuncti, *l. Hæres 37. ff. de Acquir. hæred. ideòque, quòd jure spoliatus, si supervixerit, eòdem ejus hæres agere potest.*

An autem hoc interdictum, sicut hæredibus spoliati, sic etiam competat adversus hæredes spoliatoris; ut illis ad spoliis restitutionem ante omnia faciendam, etiam isti teneantur, dubium reddit non le-

non levis momenti ratio; quòd ex defunctorum maleficiis hæredes non teneantur, *l. Unica C. de Delict. defunct.* Sed hac ratione & quasi Regulâ potius est responsum & exceptio Juris, Regulam illam ita restringentis; ut defunctorum hæredes, quantumvis non ex delicto, tamen teneantur, quatenus ad ipsos pervenit, *l. In hæredem 26. C. ff. de Dolo & l. Quod diximus 16. §. 1. ff. Quod metus causâ,* ubi Ulpianus, *Licet, inquit, delicti pœna non transeat, attamen, quod turpiter & scelerè quæsitum est, ad compendium ejus non debet pertinere:* juxta quam proinde restrictionem etiam hæredes spoliatoris ceterique ejus successores in id saltem, quòd ex spolio ad ipsos pervenerit, tenentur, & in factum actione conveniri possunt ex responso ejusdem JCT. *l. 1. §. fin. l. Quod est 3. pr. & l. Si plures 9. ff. de Vi armata* Unde

12. Dubium secundò oritur de successore spoliatoris singulari, sive eò, qui rem ab isto emit, aut donò accepit. Qui, licet Unde vi Interdictò conveniri nequeat Civili, *l. Cum à te 7. ff. eadem Rubric. Canonico* tamen Jure etiam contra ipsum, si spoliatori in re vi occupatâ scienter successisse, eamve, cum spoliationis concilius esset, detinuisse probetur, spoliatum restituatur *c. Sape 18.* quòd textu ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi correctum Jus Civile & Interdictum Unde vi, quòd istò non competebat, ad successorem singularem quodammodo extensum, eive simile remedium est introductum. Ratio autem novum hoc recuperandæ possessionis remedium introducendi fuit partim odium hujusmodi injustæ detentionis; qui enim, spoliationis antecedentis notitiâ non obstante, rem detinet, succedere videtur in vitium adversarii spoliantis; cum quoad animæ periculum non multùm intersit, & Jura

pro eodem reputent hæc duo, *Injustè detinere & Invadere rem alienam,* textus est *c. cit.* cui consonat *can. Sicut 8. V. Neque enim minus, dist. 47.* partim etiam spoliati favor; ne ad dominiû sive proprietatis probationem adstringatur; cum enim ista sæpe valde difficilis sit, ne, si Rei vindicationem intentare coactus propter probationis potius, quàm juris deficientis inopiam succumbat, ipsi hòc, sicut saluberrimò, ita æquissimò remediò est consultum. Atque nova hæc Juris Ecclesiastici dispositio locum etiam habet in foro Seculari; quia, cum ad impediendum peccatum & animarum periculum removendum illò aliquid decernitur, etiam in hoc foro solet, ac debet observari, *arg. c. fin. de Prescript. Panormit. in c. Sape cit. n. 5. & ibi Laiman n. 3.* Sed etiam hinc novum & priori minus expeditæ resolutionis

Dubium tertium nascitur, an Spoliatus etiam restituatur contra tertium, bonâ fide & justò titulò possidentem, sive ad quem spoliationis ignarum res pervenit. Nam & hoc cum Glossa in *c. Sape cit. V. Subvenitur,* affirmant Innocentius *ibid. n. 2.* Panormit. *in c. Cum ad sedem 15. n. 26.* Maranta *de Ord. judic. p. 4. dist. 7. n. 58.* Steph. Gratian. *Forens. Discept. cap. 31 n. 1.* Gaill. *Lib. 2. Observat. 75. n. 10.* & multi alii utriusque Juris Interpp. & DD. suam hanc Opiniónem desumentes ex famigerato textu *can. Retintegranda 3. g. 1.* quò præ ceteris pingue & omnium tutissimum recuperandæ possessionis remedium proditum volunt; cum, ut inveniunt, ex canone illo agens quicumque, per metum, dolum; captivitatem aut aliam violentiam rebus suis spoliatus, contra quemcunque, nec solum malæ, sed bonæ quoque fidei, & antecedentis spoliationis ignarum possessorem restituatur.

15. Sed, licet hæc Opinio maximâ DD. autoritate suffulta, & teste Mynfinger *Cent. 3. observat 85.* multorum tribunalium usu recepta & æquitati valde conformis sit; cum simile quid à Prætoribus edictum de rebus, quæ injusto metu extortæ sunt, ut à quovis possessore repeti possint, *l. Item si 14. §. 5. V. Unde quidam, ff. Quod meritis causâ:* & in Regno Neapolitano de *Violentiis* editâ Regiâ Constitutione provisum sit; ut spoliatus etiam contra millesimum successorem, ad quem possessio spoliis vitio affecta transit, restituatur, teste Maranta *diff. cit. n. 53.* Et si, inquam, hæc ita sint, de Jure tamen spoliati contra talem non restitui, verius est, & cum Bartolo *in l. Rem que 15. ff. de Acquir. possess. num. 2.* defendunt Menoch, *Recuper. remed. 15. à n. 87.* Fachineus *Controvers. Lib. 8. cap. 12.* Hunnius *in Treutl. disp. 25. q. 67.* & alii RR. Ratio, quam DD. in contrarium militantium torrenti opponunt, satis firmâ est; quia spoliato contra hujusmodi possessorem restitutio negatur Jure Civili, *l. Cum à te cit.* Canonicò autem, *Sape cit.* clarissimè solum conceditur adversus tertium, spoliium detinentem scienter & quasi in vitium succedentem; quò textu Jus novum conditum verbis, *Si quis de cætero*, clarè insinuat: & spoliato expressè contra solum malæ fidei possessorem, sive eum, qui rem à spoliatore scienter accepit, subvenitur, manifestò argumentò, illum de Jure anteriori non restitui adversus quemcunque singularem etiam bonæ fidei possessorem; quid enim opus erat novâ Constitutione *c. Sape cit.* spoliatis succurrere adversus malæ fidei possessores, si de uberiori & generali remedio adversus quoscunque, etiam bonæ fidei possessores ipsis antiquiori Jure consultum jam fuit? ut cum *cit.* DD. fortiter arguunt Laiman *in c. Sape cit. n. 7.* & Haunold, *Tem. 1. de J. & J. Tract.*

3. n. 384. Confirmatur; quia ratio peccati & periculum animæ, in quo *c. Sape cit.* & secundum multos etiam *can. Restituenda cit.* dispositio fundatur, cessat in bonæ fidei possessore; ut proinde in isto à Juris Civilis dispositione non sit recedendum, *cit.* Menoch. *n. 92.* & Fachineus *cap. 12. V. Sed ratio.*

Neque aliud evincitur *ex can. Restituenda cit.* quia imprimis Jus, quò spoliato generaliter adversus quoscunque singulares & bonæ fidei possessores consultum fuerit, ante *c. Sape cit.* relaxatam Constitutionem non existisse, jam est ostensum; ac proinde illi ita consultum non fuit *can. cit.* utpote textu *c. Sape cit.* 50. annis antiquiori, teste *cit.* Menochio *n. 6.* Deinde; quia Canone illo aliud non statuitur, quàm Episcopos &c. injustè spoliatos ante omnia & integrè restituendos: quòd, cum de malæ fidei possessoribus, imò ipsis spoliatoribus & successoribus istorum universalibus intelligi possit, ad singulares, saltem bonæ fidei possessores non rectè extenditur, præsertim; cum ad peccatum, cui isti obnoxii non sunt, evitandum introductum videatur. Demum; quia, licet fortassis ejus Canonis conditor spoliatis etiam adversus hujusmodi possessores consulere intenderit, juxta hanc tamen ejus intentionem intellectus & observatus non fuit ante Concilium Lateranense; ut proinde cum cæteris istius PP. Innocentius III. ejus dispositionem saltem adversus malæ fidei possessores, scienter in vitium succedentes, de cætero voluerit observari, *c. Sape cit.* Jordanus *Lucubrat. Lib. 14. Tit. 12. n. 39.* Sed quidquid sit de Jure, in praxi standum est tribunalium consuetudine, in multis provinciis spoliatos adversus quoscunque etiam bonæ fidei possessores restituente; dummodo suam antiquiorem, & istorum recentiore possessionem probaverint, *cit.* Gaill. *n. 12.* & Mynsing. *Obser. 85.* Dubium

27. Dubium quartò est, an indebitè spoliatus etiam adversus judicem spoliantem restituatur. Quod affirmantium & negantium VV. DD. à verò, ut ab Afferentibus suis explicantur, non aberrantes sententiæ distinctionis auxiliò à RR. vel declarantur vel conciliantur.

Et primò quidem, si ita spoliatus quis est à iudice incompetente v.g. clericus dignitate, aut alio beneficio Ecclesiastico à Seculari, illum adversus hunc, quoad alia secundùm Juris ordinem procedentem, ante omnia restituendum, res omnino certa & clara ratio est; quòd iudicatum dici nequeat ab eo, qui non habet jurisdictionem, l. C. §. 1. V. Et ideo, ff. Quod quisque juris in alt. & paria sint, sententiam non esse latam, & esse latam à iudice incompetente; & propterea ex incompetencia proveniens nullitas cæteris omnibus major habeatur, Glossa cõmuni DD. suffragiò approbata in Clement. II. n. 1. Non obstante, de Sequestr. poss. Felinus in Rubric. de Foro compet. Gaill. Lib. 2. observat. 76. n. 12. & alii.

28. Secundò, si à iudice competente, sed extrajudicialiter, sive prætermisò Juris ordine & absque causæ cognitione spoliatur, contra illum agens ante omnia restituatur, c. Cùm causa 22. de Offic. deleg. C. Conquerente 7. hanc Rubr. quia iudex ita procedens egreditur fines sui officii, & tanquam privata persona reputatur, ut ei restitui possit, l. Prohibitum §. C. de Jure fisci: & sicut incompetens. sic ipse quoque pro se non habet præsumptionem, quæ spoliati restitutionem ante omnia faciendam impedire possit, c. fin. in 6. Panormit. in c. Conquerente cit. n. 6. ubi Berouius à num. 5. & Menoch. Recup. remed. 8. à n. 8. rectè excipiens casum, quòd causa aliquem v.g. beneficiò privandi esset omnino notoria; quia in notoriis ordo Juris non requiritur, c. Nostra 12. de

Jurejurando & Clement. 2. de Sent. & re judic. & quò iudex contrajudicialiter procedit ex necessitate, ad impediendum scandalum vel peccatum, Panormit. in c. cit. n. 15. & ibi Laiman. n. 3.

Tertiò, spoliatus judicialiter & per sententiam adversus judicem non restituatur, nisi sententia contineat vitium substantiale: quale tamen vitium continere non præsumitur, nisi probetur; cùm semper pro ipsius factò præsumptio sit, nisi de dolo argui possit, can. Hoc etiam, 2. q. 6. eaque restitutionem adversus spoliatum impediatur, donec iste se injustè spoliatum probaverit, c. fin. in 6. Glossa fin. in can. Presentium, 7. q. 1. Panormit. l. cit. n. 6. Menoch. cit. Remed. 8. n. 3. Si autem sententia continet vitium substantiale, v.g. si parte non citatà, vel in iudicio ordinario lite non contestatà, vel contra apertam legem esset lata, spoliatus, postquam de hoc legitime constitit, contra eum restituendus est; quia sententia esset ipso Jure nulla, ejusque executio spoliatio censeretur, juxta c. 1. c. Cùm inter 13. in fine de Sent. & re judic. §. l. 2. §. 2. ff. Qua Sent. sine Appell. cit. Panormit. n. 18. & aliis DD. relatis Menoch. à num. 19.

ARTICULUS II.

Regulæ traditæ Declarationes.

SUMMARIUM.

21. Restitutionem non impedit exceptio dominii.
22. Etiam injustus possessor restituatur, si à non domino.
23. Et à domino, non in continentè,
24. Sed ex intervallo spoliatur.
25. Nisi injustitia possessionis notoria sit, Et; 26. Ean-

26. Eandem non impediunt compensatio,
27. Reconventio super dominio,
28. Appellatio,
29. Et exceptio criminis,
30. Quod possessionis non reddat incapacem.
31. Pro Ecclesia restitutione agenti hu-
ju privata:
32. Et pro privata restitutione agenti
Ecclesie spoliatio non obstat.
33. Restituitur etiam re incorporata,
34. Et secundum aliquos re mobili spoli-
atus:
35. Sed verius vi solius consuetudinis.
36. Colono &c. Interdictum Unde vi non
competit.
37. Restitutionem impedit exceptio do-
minii, spoliatio expressè,
38. Vel saltem tacite consentiente.
39. Uti & si cum ipso certius rei dominus
concurrat,
40. Vel spoliatoria jus notorium sit,
41. Ex Actis judicialibus,
42. Praesertim ex sententia lata pro spo-
liatore.
43. Restitutionem impedit exceptio spo-
lij:
44. Uti & irreparabilis damni,
45. Et publici scandali periculum:
46. Et impossibilitas possessionis per viam
juris adipiscenda.

21. **R**egula de spoliati restitutione
hactenus tradita ea vis est;
ut, qui eam in iudicio petit,
possessione & violenta de-
jectione probata, ante omnia restitu-
endus sit.

Primo, non obstante exceptione do-
minii, quod in re sibi competere spoliator
in continenti probare est paratus, per no-
tabiles textus, c. 1. ubi vi ablata posses-
sionis restitutio, si petatur, facienda di-

citur, *Ante omnem contentionem*; ac pro-
inde ante ejusmodi exceptionis obiectae
discussionem: & c. *In literis* 5. in cuius
fine secundum rigorem Juris idem alle-
gitur de prädone. Unde

Dubium oritur, an ergo etiam
qui rem injustè & vi possedit, ut vi,
prædo, ejus possessione vi dejectus resti-
tuatur. Et quidem, si illius possessione
non à domino, sive ab eo, quem ipse de-
jecit: sed ab alio sit dejectus, ei Interdi-
ctum competere, ut ante omnia sit resti-
tuendus, l. 1. §. 30. ff. de Vi armata di-
sertè habetur.

Casu autem, quò prædo, aut alius
possessor injustus ab ipso domino, vel ab
alio à se spoliato dejectus est, multum
imò plurimum interest, utrum possessione
vi dejectus sit in continenti, vel primum
ex intervallo; cum, si dejectus est in con-
tinenti, hoc est, quam primum à prædo-
ne naturali possessione dejectus, homines
& alia ad illum expellendum necessaria
potuit comparare; & antequam, omnis
recuperationis negotiò, ad extranea di-
verteret, ut vocem illam in l. *Quod est*
3. §. 9. ff. de Vi armata cum Glossa 7. in
continenti, exponit Bruneman. n. 6. præ-
donem non restituendum, patet ex §. 9.
cit. & c. *Pisanis* cit. ubi spoliato contra
deicientem super spolio agenti restitutio
negatur ex ratione; quòd *Statim vim vi*
repellendò, ac proinde licitè eijci potuerit.
Cujus ratio est; quia in continenti facta
prædonis, seu violenti & injusti possesso-
ris dejectio rationem habet rerum suarum
justæ defensionis: quam, violentià
vi repulsâ, fieri Jus & naturalis ratio per-
mittit, can. *Jus naturale* 7. dist. 1. c. 1.
1. c. *Unde vi*. Si verò primum ex inter-
vallo dejectus est, de jure etiam ipsum
restituendum, cum Beroio in c. *In literis*
5. num. 70. defendunt cit. Fachineus *Con-*
trovers. Lib. 7. cap. 10. V. *Mibi*. Petr.
Barbo-

Barbosa in l. Si de vi 37. ff. de Judiciis n. 47. & 124. & Haunold. Tom. 1. de J. & J. tract. 3. n. 371. quod id minimè obscure tradi videatur, l. Sequitur 4. §. 6. ff. de Usurp. & Usucap. l. Cum fundum 18. pr. V. Quasiuum, ff. de Vi armata & l. Si quis in tantam 7. C. Unde vi: ad quarum l. textus referri videntur, c. In literis cit. verba, Quia praedo etiam secundum rigorem Juris est restituendus. Ratio est; quia nemo sibi jus dicere, & rem propria autoritate vindicare debet, si iudicis copiam habere possit, l. Auxilium 37. ff. de Minoribus, in cuius fine, qui hanc Juris Regulam & iudicis auctoritatem negligit, legis & Magistratus auxilio reputatur indignus.

Pugnare quidem cum hac resolutione videntur, l. Bona fides 31. §. 1. ff. De positi, verba, Non est ex fide bona, rem suam dominum praedoni restituere compelli; eum, huic eam restituendò, rei alienae retentionis, ac proinde peccati occasio praedoni praebetur. At re ipsa non pugnat; quia l. cit. textus expressè agit de calu, quò dominus rem suam sine violentia consequitur à praedone, eam per errorem apud ipsum deponente, ut l. cit. & non de eo, quò dominus rem vi rapuit, & invasit. Neque obstat peccati continuatio; quia haec iudicis auctoritate potest impediri: & minùs perniciosa Reipublicae est, quam rerum suarum ab aliis detentatum, cum iudicis officium paratum est, violentiae occupationes: quarum permissione delictis & malitiis hominum via aperiretur, l. Non est singula 176. ff. de R. J.

25. Sed, licet de rigore res ita se habeat, spectata tamen aequitate Naturali, praedo seu spoliator notorius contra dominum, possessionem ab eo vi recuperantem, restituendus non videtur; quia in pari causa spoliationis à duobus factae praeferen-

duis videtur rei dominus; cui Jure Gentium, quò bella introducta sunt, concessa est facultas, rem suam ab injusto spoliatore recuperandi, l. Ex hoc jure 5. ff. de J. & J. cum Naturali etiam Juri consonum sit, deteriorem esse conditionem ejus, qui Naturale Jus, domini possessionem vi occupandò, prior violavit, Menoch. Recup. remed. 1. n. 128. non obstante l. Si quis in tantam cit. quae propria auctoritate alterius possessionem invadens, si dominus est, rei dominò privatur; quia lex ista quoad amissionem domini in paucis locis usu est recepta: etque ferè poena arbitraria successit, teste Engel ad hanc Rubr. num. 16. ut taceam; quòd, eam de notorio praedone non loqui, existimet Zoestus in ff. Vi armata n. 19. & ante eum Menochius l. cit. cum aliis, in notoriis adversus rerum suarum injustos invasores jus sibi dicentem clementius habentibus, apud cit. Barbosam n. 19. & 122. & alterum ejus nominis Interp. in c. In literis cit. n. 4.

Secundò, spoliatus ita restituendus 26. est, non obstante exceptione compensationis, objectae à spoliatore, l. & §. fin. C. de Compens. quia compensatio est quaedam mutua petitio, sive reconventio: quae, cum Recuperandae interdictò agitur, nisi de spolio etiam ipsa sit, non admittitur, ut mox patebit.

Tertiò, idem ita restituendus est, 27. etiam si reus conventus ipsum iudiciò petitorio, sive super alicujus rei proprietate velit reconvenire, c. fin. de Ord. cognit. quia adversus spoliatorem proposita restitutionis petitio privilegiata est, ut ante omnia facienda restitutio: & antequam haec facta sit, spoliator super jure suo non audiatur, c. In literis & c. Conquiescente cit. cum; ut, violentiis longissimè, remotis, Reipublicae tranquillitas conferretur: tum verò, ne rebus suis nudati & inermes

inermes iudicio contendere cogantur, contra Naturalem æquitatem & textum *can. Oportet. 3. q. 2.*

28. Quartò, ejus restitutio non impeditur Appellatione de Jure Civili, *l. Unica C. Si de momenti poss. saltem quoad effectum suspensivum, Bartol. in l. cit. n. 3. & l. Ante sententiam 2. ff. de Appell. recip. n. 9. & Maranta de Ord. jud. p. 6. de Appell. n. 294.* de Jure tamen Canonico etiam quoad hunc effectum aliud statuetur, *Tit. 28. an. 93.*

29. Quintò, eadem non impeditur opposita exceptione Criminis; prius enim spoli, quam istius causam pertractandam, *e. Item si quis 6. decisum est ex ratione; quòd is, qui alterius possessionem vi occupavit, aut clam ingressus, pristinum possessorem non admittendò, violenter retinet, esse præsumatur ejus inimicus; cum vim & injuriam intulerit: inimicus autem ad accusandum criminaliter; quòd odiò moveri videatur, non admittatur, arg. c. Repelluntur 7. de Accusat. Farinac.*

30. *Prax. Criminal. q. 12. n. 34.* Hæc tamen decisio admittit distinctionem, vel potius exceptionem criminis, spoliatum reddentis ad agendum inhabilem, vel incapacem possessionis: ut sunt, quæ annexam habent excommunicationem; hæc enim ligatus, antequam absolutus sit, à reo convento per exceptionem, vel à iudice ex officio repelli potest, *c. Intelleximus 7. de Judicis c. Anobis 2. & c. Exceptionem 7. de Exceptionibus, Glossa in c. Ex insinuatione 3. V. Aliud, de Procurat. uti & crimina hæresis & læsæ Majestatis, quorum rei beneficiorum Ecclesiasticorum, tam possessione, quam proprietate privati sunt ipsò Jure. Eadem, quæ hujusmodi, etiam ratio est exceptionis, quæ actori, qui tanquam beneficiò spoliatus restitui petit, Baptismi, aut Clericatus defectus opponitur; his enim casibus, an-*

tequam spoliatus restituitur, de crimine & hujusmodi defectu cognoscendum, cum Panormit. *c. Item cit. n. 9. & 10.* tradit Menoch, *Recup. remed. 1. à num. 330.*

Sextò, agens ad restitutionem rei Ecclesiasticæ restituendus est, insuper habità exceptione ab ipso factæ spoliationis rei privatæ: & contrà, agens super spolio rei suæ privatæ, restituendus est, non obstante exceptione spoliationis rei Ecclesiasticæ, *c. 1. §. fin. in 6. partim quia agens ad restitutionem rei Ecclesiasticæ, non suò privato, sed Ecclesiæ nomine & jure agit, c. Literas 3. de Dilat. & contrà agens pro re sua privata, non Ecclesiæ, sed propriò nomine & jure agit, l. 1. C. de R. V. ut adeò pro rei Ecclesiasticæ restitutione conventus non rei privatæ, sed Ecclesiasticæ: & contrà conventus pro rei privata, non Ecclesiasticæ, sed privata tantum rei spoliium opponere de jure queat; quia super spolio agens non repellitur exceptione spoli, nisi commissi ab eo, qui super spolio agit: super spolio autem propriè tantum agit is, cujus nomine actio intentatur, *arg. l. Si procurator 9. ff. de Doli except. Franc. in §. cit. n. 2. & Barbosa ibid. n. 20.* partim vertè quia res Ecclesiasticæ censentur Juris publici, *arg. l. 1. §. 2. ff. de J. & J. & l. fin. pr. C. de SS. Ecclef. publici* autem cum privato compensatio non admittitur, *l. 1. §. 1. In ea 3. de Compensat. Vivianus in §. fin. cit.**

Neque obstat; quòd *c. Cum dicitur 2. de Ord. cognit. contra Abbatem*, qui nobiles super quibusdam rebus Ecclesiasticis conveniebat, admissa sit exceptio spoliationis castri ab eo factæ; quia hæc exceptio fuit rei Ecclesiasticæ; castri enim, cujus possessione Nobiles vi erant dejecti, erat feudale: & dominium quòdem ejus directum ad Monasterium: ubi

le verò ad Nobiles, eò spoliatos, pertinebat, ut in *c. cit.* notat Barbola n. 21. & Gonzalez in *c. Cùm dilectus cit. n. 25.*

33. Septimò, eidem Regulæ locus est in rebus Incorporalibus, ut contra Hunnium, in *Treutl. Vol. 3. disp. 25. q. 55.* docent Perez in *C. Unde vi, n. 3.* Vallentis ad *banc Rubric. §. §. num. 1.* & Haunold. *Tom. 1. de J. & J. tract. 3. n. 362.* quòd nullò Jure excludantur, & præterea rebus immobilibus accenseantur: de cuiusmodi præsertim spiritalibus juribus sermo redibit *Art. 6. & 7.*

34. Octavò, de spoliati restitutione tradita Regula locum habet in rebus, tam Mobilibus, quàm Immobilibus: quòd, licet Corrasius in *l. Naturaliter 12. §. 1. ff. de Acquir. possess. n. 48.* generaliter affirmet, de illis tamen, siue Mobilibus, magno aliorum consensu recepta est distinctio; etsi enim, inquirunt isti, *Unde vi Interdictum* saltem accessorie & secundario competat pro servis adscriptitiis, siue colonis, qui adscripti sunt glebæ, & pars fundi censentur, *l. Si coloni 14. C. de Agriculis* & pro aliis rebus mobilibus, quæ fuerunt in fundo, vi occupato, vel ædibus, unde quis est dejectus; nam etiam pro his interdictum *Unde vi* saltem accessorie & secundario competit, *l. 1. §. 6. V. Planè, ff. de Vi armata c.* pro aliis tamen mobilibus, vi ablatis, id non competere, satis liquet ex *cit. §. 6. & 7.* quòd his competat actio *Vi bonorum raptorum*, aut *Furti*, & *Ad exhibendum* agi possit, Menoch. *Recup. remed. 1. n. 9.*

De Jure tamen Ecclesiastico hujusmodi etiam mobilibus spoliatum ante omnia restituendum, Menochius desumit ex *can. Redintegranda cit. & can. Episcopi 3. q. 1.* vocabulis *Omnia & Ablata*, quorum prius eas non minus, quàm immobiles complectitur: posteriore autem solæ mobiles intelliguntur; cum im-

mobiles nequeant auferri. Verùm, quia *Canone utroque* præter interdicti *Unde vi* extensionem ad res Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum nihil novi comprehendit, in *c. Conquerente cit.* notat Gonzalez n. 6. satis probabiliter hoc etiam Jure ante omnia restitutionem pro mobilibus ablatis, si immobilibus accessoria non sint, dari, idem negat cum *Tuscho Practic. V. Spoliato, conclus. 391. n. 2. De Jure*, inquam, quia Menochii hac de re sententia Curiarum usu, & in hunc præcipuè intentorum DD. frequentiori calculò approbata est, teste Jordano *Lucubrat. Lib. 14. Tit. 12. n. 42.*

Non desunt tamen à Regula, hæc 36. tenus stabilita, variæ exceptiones & casus, quibus spoliatus non est ante omnia restituendus. Veluti

Primò, colonus, inquilinus & similes prædiò, domò, aliave re conductà vi dejecti aut expulsi; cùm enim tales, eò ipsò; quòd prædium, domum &c. non suo sed alieno nomine possideant, ipsi in possessione duntaxat: veri autem prædii, domus &c. possessores sunt eorum domini, quorum nomine ea detinent, *c. Cùm venissent 9. in fine, & l. Quod meo 18. ff. de Acquir. possess. his*, tanquam possessores dejectis, Interdictum *Unde vi* competit: non ipsis, *l. 1. §. 22. ff. de Vi armata*, Menoch. *Recup. remed. 1. an. 62.* & Perez in *C. Unde vi n. 5.* Iis tamen Officiò judicis aliquando succurri, cum Baldo in *l. Ede 3. C. de Locato, V. Sed quid si*, notat *cit. Menoch. n. 64.*

Secundò, suâ possessione spoliatus 37. ante omnia restituendus non est, quando, ut ante spoliæ restitutionem de exceptione domini seu proprietatis cognoscatur, ipse consentit, ex clara decisione *c. 1.* Ratio est; quia privilegium, competens spoliato, introductum est non solum in odium spoliantis: sed etiam & princi-

Gg

princi-

principalis in favorem spoliati, *c. cit.*
Et c. fin. de Ord. cognit. qui proinde juri
 & favori pro se principalius introducto
 poterit renunciare, Panormit. *in c. 1. cit.*
num. 3.

38. Neque ad hoc necessarius est spoliati consensus expressus: sed sufficit; quod restitutionem ante omnia petendi juri renuntiet tacite: quod facere praesumitur, si spoliatorem, dominii seu proprietatis exceptionem opponentem, non repellat, aut contra judicem, de proprietate cognoscere volentem, non reclamet, vel appellet; quia, qui in judicio praesens tacet, consentire etiam in suum praesudicium censetur, Berojus *in c. cit. n. 20.* & Menoch. *Recup. remed. 1. a num. 161.* Neque tali casu restitutionem petere omitterentis negligentiam supplere, & spoliatum restituere ex officio iudex debet; quia spoliatus ante omnia restituendus est, si hoc petierit: nisi ipsi officium suum non imploratum impendi exigat periculum animae &c. Glossa *in c. cit. V. Conventioem*, Panormit. & Menoch. *l. cit.*

39. Tertio, eadem restitutio impeditur, si cum spoliato, ad restitutionem agente, concurrat tertius, qui, rei dominum aut verum possessorem se esse, asserit, ac restitui petit; cum enim talis non sit spoliator, ad cujus audaciam reprimendam spoliatus ante omnia restituitur, in eo cessat ratio, propter quam spoliatus, etiam praedo, adversus spoliatorem esset restituendus, *c. In literis 5.* ut proinde ei, qui dominus, aut verus possessor non est, merito praefertur tertius, cujus dominium notorium est, vel in continenti, hoc est, non longi temporis dilatione petita, probari valet: sicut cum fure, super rei vi ablatae restitutione agente, concurrens rei dominus praefertur, *l. Bona 31. ff. De positi*, Petr. Barbola *in l. Si de Vi 37. ff. de*

Judicis n. 57. a n. 11. id extendens ad casum, quo jus tertii cum spoliatoris jure conjunctum est, ut ab isto nequeat separari; quod ratione connexionis & societatis spoliator sentire possit commodum restitutionis: quod ei, si solus esset, non concederetur, Felinus *in c. Cum super 17. de Sent. & Re judic. n. 9. & cit.* Menoch. *n. 373.*

Quarto, quando in re, super qua Recuperanda possessorem intentatur, nullum jus competere spoliato, & simul in ea jus spoliatori competere, notorium est juxta dicta *n. 25.*

Notorium autem id esse censetur, si de eo constet ex Actis judicii; cum, quidquid in hoc probatum est, notorium sit, *c. fin. de Temp. Ord. Ant. de Burio in c. cit. n. 6.* vel ex ipsius spoliati confessione, in jure sive judicio facta, *c. fin. de Cohabit. Cleric. & mul.* quia haec, ut DD. loquuntur, probata, & aliis verior ac potentior probatio est, *l. Generaliter 13. C. de non num. pecun.* vel ex legitimis testium jam receptorum depositionibus, *l. fin. C. de Probat.* aut ex instrumento publico, quod paratam habet executionem; quia etiam hoc non minore, quam testes probandi vim habet, Bartol. *in l. 1. pr. ff. de Novi oper. nunt.* vel etiam per sententiam absolutoriam in Petitorio latam in favorem spoliatoris; cum definitiva pronuntiatione judicis, rei dominum vel licui adjudicantis, istius jus sive dominium notorium evadat, *c. Vestra 7. §. fin. V. Notorium, de Cohabit. Cleric. & mul. Emptorem 12. pr. ff. de Action. empti.* ut cum Ripa *in l. Naturaliter 12. §. Notorium 1. ff. de Acquir. possess. n. 35.* Falcone *ibid. n. 43.* & aliis tradit *cit.* Menoch. *n. 233.*

Debet autem sententia; ut non in spoliati & spoliatoris jus notorium reddat, & illum Recuperanda interdicti agentem

agentem repellat, subsequi & non præcedere spoliationem, eaque spoliator esse absolutus; quòd de ipsius jure constituitur: & non solum; quòd actor sive spoliatus in domini sibi competentis probatione defecerit; quia ex defectu probationis domini, competentis spoliato, eum dominum non esse, legitime non inferitur; cum, quod probare nequit, dominium habere possit, *l. Duo sunt 30. ff. de Testament. tut. Panormit. in c. Pastoralis 5. de Causa possess. n. 26. Ripa in §. cit. n. 44. & alii, quos sequitur Mascardus de Probaz. conclus. 1333. n. 15.*

43. Quintò, spoliatus Recuperandæ interdictione agens ante omnia restituendus non est, quando ipsi per modum exceptionis opponitur aliud spoliū; hoc enim casu de spoliū exceptione prius, quam de ejus actione cognoscendum, *c. Cum dilectus 2. de Ord. cognit. decisum & ratio est; quòd, cum par utriusque causa est, favorabilior reus sit, quam actor, l. 12. ff. de R. J. nisi spoliū actio non pareretur dilationem, & periculum esset in mora; quòd v.g. ædium, unde actor vi dejectus est, ruina timenda sit, si non repararetur; tali enim casu actori, ad illarum restitutionem Unde vi interdictione agentis, spoliū exceptionem non obstat, notat Panormit. in c. cit. n. 22.*

44. Sextò, si restitutio fieri nequeat sine irreparabili damno vel periculo animæ aut corporis; sic enim propter peccati, & ex hoc animæ imminens periculum conjux spoliatus non restituitur, antequam de consanguinitatis exceptione, cujus probationem reus in continenti offert, cognoscatur, *c. Literas 13. ut n. 95. plenius constabit. Sic reus, è carcere & ministrorum manibus ad sacrum asylum fugiens, iudici, quem suâ præsentia vi spoliavit, non restituitur, propter periculum irreparabilis jacturæ vitæ, arg. c.*

cit. ubi & in l. Naturaliter 12. §. 1. ff. de Acquir. possess. Interpp. & DD.

Septimò, si ex restitutione publicum scandalum vel perturbatio in populo timeatur; sic enim Unde vi Interdictio agens ad restitutionem castri, vel oppidi valde muniti, ad ejusmodi incommoda & cædes evitandas, antequam illa fiat, audiri potest super proprietate, *cit. Menoch. an. 308.*

46. Octavò, si spoliationem necessitas extorsit, v.g. si spoliator rei suæ possessionem consequi non valuit per viam Juris; quòd adversarius sive spoliatus iudicium declinavit, vel iudex justitiam administrare noluerit, vel non potuerit; quòd casu, præsertim si rei, in Pettitorio spoliatori adjudicata, possessio non esset recuperabilis, ante restitutionem de dominio cognosci posse, cum Baldo in l. Si quis ad se 7. ff. ad L. Jul. de Vi publ. n. 1. & aliis vult *cit. Menoch. n. 312.* Ratio est; quòd, ne rem suam, aut sibi debitam quis propriâ autoritate & vi occupet, Jure cautum sit; ut non prætermittatur via & Ordo Juris, secundum S. Thomam 2. 2. q. 66. art. 5. Tali autem casu via Juris ab adversario jam prætermissa, & eo præscripti Ordinis observantia sit desperata.

ARTICULUS III.

De Fructuum Restitutione, faciendâ à Spoliatore, aliòve malæ fidei Possessore.

SUMMARIUM.

47. Ab his cum ve injustè possessa restituendi etiam sunt fructus,
 48. Qui deductis impensis supersunt.
 49. Sunt autem Fructus alii Naturales,
 50. Alii Industriales & ex his quidam Civiles,
 Gg 2

51. in

51. In dubio iudicis arbitrio discernendi:
 52. Et rursus alii Percepti, alii Percipiendi.
 53. Spoliato restituendi sunt omnes fructus percepti,
 54. Et percipiendi saltem honesti,
 55. Cum percepti inhonesti.
 56. Restituendi etiam sunt fructus, qui singulari,
 57. Non spoliatoris,
 58. Sed ipsius spoliati industria percipi potuerunt:
 59. Nisi percipi potuerint ex melioratione,
 60. Ex qua soli percepti restituuntur.
 61. In foro etiam anima soli percepti, & quos spoliatus erat percepturus,
 62. Non etiam percipiendi:
 63. Neque etiam ex melioratione percepti restituuntur.
 64. Expense alia Necessaria, alia Utiles & alia Voluptuariae sunt.
 65. Necessarias spoliator, aliisque mala fidei possessor deducit:
 66. Non etiam utiles:
 67. Nisi à re sine detrimento separabiles sint:
 68. Multoque minus Voluptuarias.
 69. In Foro anima ante sententiam utiles non restituuntur.

47. **A**ltera, eaque n. 6. insinuata in proposita restitutionis materia Regula est, spoliati restitutionem ante omnia faciendam non solum quoad rem, v.g. praedictum. cuius possessione vi dejectus est, sed etiam quoad accessoria, vel augmenta: ut sunt fructus, non solum percepti, sed & percipiendi, quae prodita est; c. *Gravus* 11. ubi Celestinus III. vel, ut verisimiliter notat Gonzalez *ibidem*, i. Alexander II.

Mandamus, inquit, quatenus praedictum Archidiaconum, Spoliatorem, ablata praenominati monasterii Fratribus, ab illo spoliatis, cum integritate restituere, damna plenarie resarcire, & de illatis injuriis competenter satisfacere compellatis, provisuri; ut non tantum fructus à novo & violento possessore perceptos, sed quos (sive possidere fuisset licitum) possessores veteres percepissent, reddi faciatis eadem. Quae rescribens Papa oculos intentos habuisse videtur, in l. 1. §. 31. & 40. ff. de Vi armata & l. Si de possessione 4. C. Unde vi, quae relatum Imperiale rescriptum est, Interdictio Unde vi conventum reum causam omnem prestare oportere, in qua fructus etiam, quos verus possessor sive possessione spoliatus percipere potuit: non tantum, quos praedo percipere, venire non ambiguit. Ratio Regulae est: quia aequitas & ratio naturalis exposita, ut aliena vis & injuria nemini damnosa sit: esset autem damnosa spoliato, si cum re, cuius possessione vi injuste illata dejectus est, sibi restituta non etiam restituerentur fructus, non solum ii, quos percepit spoliator, sed illi etiam, quos spoliatus, seclusa spoliatione, fuisset percepturus; cum damnum reputetur non solum id, quod de patrimonio decessit: sed id quoque, cuius patrimonio adiacendi adempta est facultas; quia damnum quis pati censetur in omni eo, quod abest, quantumque lucrari potuit, l. Si commissi 13. pr. ff. Rem ratam haberi, & l. Unic. V. fin. C. de Sent. pro eo, quod interest &c.

Sic firmatae Regulae vis planior erit, si, quae fructuum nomine veniant, eorumque varietas declaratur.

Fructus itaque ex re proveniens omne id Jure reputatur, quod superest post impensarum, in culturam collectionem, conseruationem factarum, deductionem, l. Si à

l. Si à non domino 36. ff. de Hæredit. petis. cuius §. *fin. elt. Fructus intelliguntur deductis expensis, quæ quærendorum, cogendorum, conservandorumque gratiâ sunt, & l. Fructus 7. ff. Solutio mairim.* cuius *pr. Ulpianus, Fructus, inquit, eos esse constat, qui deductâ impensâ supererunt, Petrus Barboſa in l. cit. n. 6. & Sanchez Lib. 2. Moral. cap. 23. n. 48.*

Fructus ita & propriè acceptos Doctores variè, & aliter TT. aliter JCT. i parjuntur. Mihi præ aliis placet partitione frequentiori DD. calculo recepta, quæ alii dicuntur Naturales, alii Industriales.

49. Naturales sunt, quos res ipsa producit, nullâ, aut valde modicâ industriâ, seu factô hominis concurrente; ut sunt ligna cædua, herbæ, gramina, poma, pira, nuces, cerata, glandes & similia, provenientia beneficiô naturæ & vix ullâ diligentia humanâ cooperante, *arg. l. Fructus 45. ff. de Usur. & fruct.* quæ pomû fructibus naturalibus adnumeratur; *Quia non ex factô ejus, hominis, ut fructus nascitur: quibus Menochius uvæ & olivas, de Arbitr. casu 210. n. 22. lanam item & lac, Recu. per. poss. remed. 15. n. 577. Mynsinger in §. Si quis à non domino 35. Instit. de Rev. divis. animalium fœtus, agnos, hinnulos vitulos, ova & pullos gallinarum &c. DD. alii accensent; quòd, licet hi fructus sine hominis labore & industria non producantur, homo tamen ad eorum productionem multò minùs conferat, quàm natura.*

50. Industriales sunt, qui ex re magis diligentia & labore hominum, quàm vi & beneficiô naturæ proveniunt: ut segetes seu frumentum, vinum, oleum, butyrum, caseus, & quæcunque venatione, aucupio, piscatione acquiruntur. Ratio est; quia, licet ad talium fructuum, frumenti præfertim, vini & olei, productionem non parum conferat natura, tamen non nisi labore & industriâ hominis, terram exco-

lentis, vinumque & oleum ex uvis & olivis exprimentis, & novam formam inducentis, producantur, *arg. l. Fructus cit. & §. Cum ex re aliena 25. Instit. de Rev. divis.*

Ad Industriales fructus etiam reducuntur lucra, quæ ex pecunia, vino, frumento, oleo &c. negociandò comparantur: uti & ædium aliarumque rerum locatarum pensiones, mercedes servorum, vecturæ jumentorum naviumque, & similes obventiones: quales non quidem ex re, sed propter rem, sive ejus usum percipiuntur & fructus Civiles nuncupantur; quòd, licet rei propriè non fructus, sed accessiones quædam sint, Civilis tamen Juris dispositione locum seu vicem fructuum obtineant, *l. Merces 29. ff. de Hæredit. petis. & l. Usura 34. ff. de Usur. & fruct.* Panormit. in *c. Gravis cit. n. 3. ubi Berolius n. 9. Covarruvias Lib. 1. Var. cap. 3. n. 6. & Molina Tract. 2. disp. 719. n. 2. in fine.*

Fructus, quorum qualitas jure determinata non reperitur, an Naturalibus, vel Industrialibus adnumerandi sint, relinquitur prudenti arbitrio judicis, an in rerum productione in Regione aliqua vis naturæ, vel hominis industria prævaleat, considerantis, *arg. l. Quaritur 10. ff. de Statu hom. cit. Panormit. n. 3. Berolius n. 9. Covarr. n. 6. Molina cit. n. 2. & aliis DD. relatis Menoch. cit. casu 210. num. 20.*

Præterea fructus alii dicuntur Percipiendi, sive à solo necdum separati & adhuc pendentes, rei que, ex qua proveniunt, adherentes, *l. Fructus 44. ff. de R. V.* licet jam sint maturi, *l. fin. §. 6. ff. Qua in fraud. credit.* uti &, qui percipi potuissent, *c. Gravis cit. in fine:* alii jam Percepti, sive jam collecti & reconditi in horreis, vel cellariis, aut saltem hominis industriâ (non per se, aut vi tempestatis) à solo

à solo, sive re, ex qua nascitur, separati, *l. Si fructuarius 13. ff. Quibus mod. usufr. amitt.* & ex his rursus alii non contumpti, sed adhuc extantes: alii verò jam consumpti, sive conversi in usum, & non amplius extantes, Panormit. *in c. Gravis cit. n. 7. Sanchez cap. 23. cit. n. 61.* & Haunold. *Tom. 1. de J. & J. tractat. 3. num. 263.*

His præmissis

§ 3. Regula supra statuta procedit de fructibus, qui deductis impensis supersunt: qui proinde cum re, cujus possessione alterum deiecit, à spoliatore omnes, tam naturales, quàm industriales, nec solum percepti, sed etiam percipiendi, sive ii, quos spoliatus, si rei suæ possessionem non amisisset, fuisset percepturus & percipere potuisset, restituendi sunt, *c. Gravis l. 1. cit. §. 31. & 40. & l. Si de possessione cit.* Ratio est; quia generaliter malæ fidei possessor omnes fructus, etiam qui ex re percipi potuissent, restituere tenetur, *l. Fructus 33. pr. l. Si navis 62. §. fin. ff. l. Dominum §. & l. Certum 22. C. de R. V. ubi Glossa V. Omnes à malæ fidei possessore restituendos, ait, omnes fructus naturales, pendentes, extantes, perceptos, sive sint, sive non sint consumpti, & quos percipere potuit ante & post litem contestatam, Berolius *in c. Gravis cit. n. 34.* Cynus *in l. Certum cit. n. 3. in fine, Salicetus in l. Si fundum 17. C. de R. V. Menoch. cit. remed. 15. à n. 590. Palao Tract. 31. disp. Unic. p. 24. §. 10. à n. 1. & Haunold. cit. tract. 3. n. 284.**

§ 4. Neque contra Regulæ sic intellectæ generalitatem facit, & perceptos duntaxat fructus restituendos, evincit *l. Si fundum cit.* quæ relatum de malæ fidei emptore Imperiale rescriptum est, *Fructus, quos eum mala fide percepisse, fuerit probatum, aditus præses provincia restitui jubebit.* Verùm, quia spoliatorem ad fructuum non perceptorum tantùm, sed eorum quo-

que, quos spoliatus fuisset percepturus & percipere potuisset, restitutionem compellendum, ex allegatis utriusque Juris textibus exploratum est, & *l. Si fundum cit.* de malæ fidei emptore loquens violentæ invasionis casum non attingit, spoliatori impostam fructus naturales indifferiminatim omnes restituendi obligationem minuendi vim non habet. Imò cæteris quoque malæ fidei possessoribus ulum patrocinium non præstat; cum quosque hujusmodi fidei possessores ad ejusmodi fructuum planè omnium restitutionem compellendos, omnino liqueat ex *l. Fructus l. Si navis §. fin. l. Dominum & l. Certum cit.* ullum inter malæ fidei possessores non statuentibus & agnoscantibus discrimen: & à restitutione perceptorum, imperatà *l. Si fundum cit.* perceptorum restitutionem non præstantiam, malè inferatur à contrariò ductò argumentò, cum; quia huic locus non est, quando eò illati contrarium Jure est expressum, Everard. *Legal. arg. locò à contrario n. 4.* Menoch. *Lib. 3. præsumpt. §. n. 5.* & Mantica *de Conject. ult. volum. Lib. 3. tit. 15. n. 13.* tum verò; quia *l. cit.* relatum Imperiale rescriptum ad certam faciem facti, scilicet perceptorum fructuum, speciem directum, atque idcirco ultra rescriptæ mentem & intentionem ad percipiendam trahendum non est, Menoch. *cit. remed. 15. n. 608.* Haunold. *tract. cit. n. 288.* & aliis relatis Bruneman. *in l. cit. n. 3.* Hæc satis certa.

Dubium autem primò est, an spoliato restituendi sint fructus, quorum perceptio est inhonesta, v.g. qui percipiuntur ex ædibus, locatis meretricibus & lenonibus. Quæ in re adhibenda & Jure prædicta est distinctio inter ejusmodi fructus perceptos ac percipiendos; cum malæ fidei possessorem, sicut ad restitutionem fructuum

fructuum inhonestè perceptorum clarè obligat *l. Ancillarum 27. ff. de Hæredit. petit. c. 1.* Ulpianus. *Pensiones, quæ ex locationibus prædiorum urbanorum perceptæ sunt,* restituendas ait, *licet à lupanario perceptæ sint:* sic malæ fidei possessores ab ejusmodi fructuum inhonestè percipiendorum restitutione absolvit *cit. l. Fructus 34. verbis, sed & fructus, qui percipi honestè potuerunt:* ex quibus verbis inhonestè percipiendos minimè restituendos argumentò à contrario legitime inferitur, ut cum Baldo *in l. Fructus cit. n. 1.* & Butrio *in c. cit. n. 12.* observant *cit.* Menoch. *n. 102.* & Bruneman. *in l. cit. n. 2.* Ratio prioris partis est partim; quòd ejusmodi fructus percepti proveniant ex re, malâ fide possessa, cujus fructus domino debentur: partim; ne spoliator ex delicto sive alienæ rei occupatione violenta & injusta possessione ullum commodum reportet. Posterioris autem; quòd spoliatus, aliûsve rei dominus, sicut inhonestæ perceptionis fructus ipse procurare, sic etiam exigere ab alio nequeat eorum perceptionis procuracionem.

56. Dubium secundò est, an spoliato restituendi sint fructus, quos ipse, si rei possessionem non amisisset, ex ea percipere singulari suâ industriâ potuisset; eos enim saltem, qui communi industriâ percipi potuerunt, restituendos, nemo est, qui inficias eat. Ab eorum autem, quos singulari industriâ percipere potuisset, restitutione spoliatorem excusat Decius *in l. Generaliter 78. ff. de R. j. n. 5.* quòd attendi nunquam soleat singulare interesse Actoris. Sed hoc generaliter verum negat, & eos etiam fructus, quos singulari suâ industriâ percipi potuisse, spoliatus probat it, restituendos, cum Ant. de Butrio *in c. Gravia cit. n. 13.* Bartolo *in l. Domum cit. n. 5.* & aliis iustinet *cit.* Sanchez *cap. 23. n. 114.* ductus *c. & l. cit.* generalitate & ratione; quòd spoliator ad

rei conservacionem & perceptionem fructuum eam diligentiam adhibere teneatur, quam diligentissimus paterfamilias solet; cum ad rei & fructuum æstimationem præstandam etiam obligetur, etsi nullâ suâ culpâ interiiisset, nullique fructus ex ea fuissent percepti.

Dubium tertio & DD in diversa ab-
57. euntium, magnâ dissensione agitata controversia est, an cum re spoliato restituendi sint fructus, quos percipere etiam spoliator potuisset; cui ansam præbuerit *l. Si fundum & l. Domum cit.* quarum priori malæ fidei possessor ad fructus, *Quos cum mala fide percepisse, fuerit probatum:* posteriori, *Quos percepit ac percipere ipse potuit restituere* jubetur; itaque apertè attenditur facultas seu potentia percipiendi fructus, se tenens ex parte spoliatoris, vel alterius malæ fidei possessoris. At, licet ab isto cum re ex ea percepti & quos communi industriâ potuit percipere, fructus planè omnes restituendi sint, quoad fructus tamen percipiendos industriâ singulari, non ipsius, sed spoliati, 58. aut rei domini potentia attenditur; ut spoliator fructus, quos ejusmodi singulari industriâ non ipse, sed spoliatus percipere potuit, restituere teneatur & compellatur, ut cum Butrio & Bartolo *cit.* defendunt Garzias *de Expenf. cap. 23. n. 49.* Sanchez *cit. n. 114.* Haunold. *tract. cit. n. 289.* & alii, permoti claris textibus *c. Gravia, l. 1. §. 31. & l. Si de possessione cit.* quibus disertè spoliati: *l. Si navis §. fin. & l. Generaliter cit.* quibus domini, cujus res malâ fide possidetur, potentia seu fructus restituendi facultas attendenda generaliter asseritur. Ratio est; quia Juris utriusque conditores quoad restitutionem fructuum, sicut eorum qui percipiendi verissimiliter erant & potuerunt percipi, apertè favent ac prospiciunt spoliatis & aliis pro restitutione agentibus adversus rerum suarum malæ fidei possessores, & in fructibus,

fructibus, quos ipsi percepturi erant, & percipere poterant, nisi intelliguntur vel præsumuntur.

Neque cum hac resolutione pugnant *l. Si fundum & l. Domum cit.* quia illa expressè loquitur de fructibus perceptis: ista verò, ut cum aliis Juris textibus in concordiam reducatur, exaudienda est de fructibus industriâ, non singulari, sed communi percipiendis; hos enim respiciens potentia cum utriusque communis sit, sicut juxta spoliati, aut alterius domini, sic etiam juxta spoliatoris aut alterius malâ fide possidentis potentiam restituendi, salvâ resolutione, dicuntur.

59. Dubium quartò est, an spoliator aliûsve malâ fidei possessor restituere teneatur fructus, provenientes ex rei vi occupatâ, aut aliter iniquè possessâ melioratione. Percipiendos sive, quos percipere ex ea potuisset, restituendos, ex communi aliorum sententia negant *Menoch. cit. remed. 15. n. 610. Covarr. Lib. 1. cap. 3. n. 4. Garzias cit. cap. 23. n. 49. & Barbosa in l. Divortio 8. §. sm. ff. Solutio marit. n. 51. ducti l. Caterum 31. ff. de R. V. ubi Paulus JCT.º de fructibus servi fugitivi à domino petitis respondens, Improbè, inquit, desiderabit petitor, servi dominus, fructu estimari, qui ex artificio ejus percipi potuerunt, quod artificium sumptibus possessoris didicit. Ratio est; quia, si eos etiam fructus, quos ex hujusmodi sua melioratione percipere potuit, restituere teneretur, sua industria ei damnosa foret, contra Regulam *l. sm. C. de Alluvionibus*. Quæ ratio, cum, sicut in fructibus percipiendis ex artificio, quod servus possessoris sumptibus doctus est, sic in ejusmodi aliarum meliorationum, à re inseparabilium, fructibus militet, *l. cit.*, dispositio ad hos quoque portigetur.*

60. Idem de fructibus ex melioratione perceptis tradunt *citr. Garzias n. 50. Gutierrez Lib. 3. Practic. q. 48. n. 17. arg. l.*

cit. &c.; quòd ejusmodi fructus ex re propria, & non ex aliena percepti sint, hoc ipso; quòd percepti sint ex melioratione ab ipso facta. Sed melius ad fructuum ex melioratione à re sine ejus detrimento non separabili, ut sunt sterco ratio agrorum, plantatio, postquam plantæ egerunt radices &c. perceptorum restitutionem spoliatorem aliûmve malâ fidei possessorem, cum Glossa in *l. cit. V. Potuerunt & Angelo ibid. in fine*, obligant *Menoch. Covarr. l. cit. Barbosa à n. 52. & Molina Tract. 2. de J. & J. disp. 725. n. 12.* Ratio est; quia melioratio rei alienæ, quæ ab ista sine detrimento nequit separari, cedit rei domino; ac proinde huic fructificat, ex eaque percepti fructus restitutioni domino faciendæ obnoxii sunt.

Unde corrui pro possessore allegata ratio, cum argumento desumpto ex *l. cit.* quia hæc aperte loquitur de fructibus percipiendis, ut liquet ex texto, & Glossa *cit.*, adnotavit.

Atque hætenus firmata fructus etiam percipiendos restituendi obligatio, sicut spoliatorem quoad fructus, quos dominus percepturus verisimiliter fuisset, non solum in externo, sed & in interno foro urget, sic in isto sive animæ foro non urget quoad eos fructus, quos dominus quidem percipere potuisset, verisimiliter tamen percepturus non fuisset, *Medina de Restitut. q. 6. Ad secundum, cit. Sanchez cit. cap. 23. n. 118. Pala o §. 10. n. 6. & Haunold. n. 286.* Ratio est; quia in animæ foro spoliator aliûsve malâ fidei possessor solum obligatur ad interesse damni, domino emergentis & lucri ei cessantis ex ablatione & retentione rei: damni autem emergentis & cessantis lucri interesse non consistit in eo, quod dominus percipere potuisset, sed in eo tantum, quod communi vel singulari suâ industria adhibita percepturus verisimiliter fuisset. Ratio discriminis inter utrumque forum est; quod in

quod in interno sive animæ foro restituendi obligatio oriatur ex Justitia Commutativa, jus suum cuique tribuere intendente, & attendente æqualitatem; ut scilicet rei domino obveniat omne id, quod habiturus erat ex re sua, si illius possessio vi, aliâve injuriâ ablata non fuisset: In foro autem externo facienda restitutio oriatur ex Justitia Legali, etiam intendente satisfactione Reipublicæ spoliatoris violentiæ & alterius malæ fidei possessoris delicti læsæ; & propterea delicti odii ultra æqualitatem illam spoliatorum, aliûmve, alienæ rei occupatione & retentione delinquentem, ad aliquid præstandum obliget, in violentiæ, aut alterius injuriæ, domino illarum, pœnam: quam præstandi obligatio delinquentem in foro animæ ante sententiam judicis condemnatoriam, aut saltem criminis declaratoriam, non urget, ut cum Covarr. p. 2. de Sponsal. cap. 6. §. 5. n. 8. Castro Lib. 2. de Justa heret. punit. cap. 9. Lessio Lib. 2. de J. & J. cap. 29. à n. 63. & aliis statuatur ad Rubr. de Panis n. 18.

63. Simili modo in animæ foro & ante judicis sententiâ spoliator aliûsque malæ fidei possessor restituere non tenetur fructus, perceptos ex rei alienæ melioratione; imò istius æstimationem detrudere potest; cum, hæc detractâ & illis non restitutis, dominus indemnis servetur, hoc ipsò; quod nihilominus tantum consequatur, quantum habiturus erat, si rei suæ possessionem non amisisset.

64. Dubium quintò est, quas expensas deducere valeat spoliator aliûsque malæ fidei possessor in rei, vi aliâve injuriâ occupatæ vel detentæ, restitutione.

Sunt autem triplicis generis Expensæ, Necessariæ, Utiles, Voluptuariæ, l. Impensa 79. pr. ff. de V. S. & l. 1. pr. ff. de Impens. in dor. fact. Necessariæ sunt, sine quibus res aut peritura, aut deterior

futura esset: ut sunt refectio ædificii, cultura agrorum, servorum curatio, alimenta & cura animalium, moles ad aquarum impetum à fundo arcendum in mare aut flumen projecta & similia, cit. l. 1. §. 3. & l. seqq. Utiles, quæ rei commodum & utilitatem augent, fructusque & proventus annuos auctiores reddunt, sine quibus tamen res non minùs integra esset: ut sunt ædificium in area vacua extructum, imposita prædio pecora, agrorum stercoreatio, l. Impensa cit. §. 1. & l. Quod dicitur §. §. fin. ff. de Impens. in dor. fact. Voluptuariæ seu merè voluntariæ, quæ solius voluptatis seu recreationis, vel ornatus causâ sunt & proventus seu fructus non augent: ut sunt viridaria, aquæ salientes, incrustatio, picturæ, l. Impensa cit. §. fin. Quò præmissò

Dubitationis propositæ resolutio 65. est, à spoliatore aliòve malæ fidei possessore in rei & fructuum restitutione fieri Jure posse deductionem necessariarum: non etiam utilium, multòque minùs inutilium & voluptuariarum impenfarum.

De necessariis id liquet ex l. Domum cit. ex cujus Imperiali rescripto malæ fidei possessor Eorum, quæ impendit, nullam repetitionem habet, nisi necessariis sumptus fecerit. Imò neque istorum, si eos fecerit in alimenta infantis, servi furtò surrepti, l. 1. C. de Infant. exposi. Ratio, cur hujusmodi impensas deducere permittatur est partim; quia istarum deductio tribuitur causæ, non personæ malæ fidei possessoris: cujus negligentia & culpæ hujusmodi impenfarum omisio imputaretur; partim verò; quia alias dominus rei locupletaretur cum jactura aliena; cum tales impensas facere ipse debuisset, si res ab alio possessa non fuisset.

Utilium autem deductio ei denegatur l. Domum cit. quâ malæ fidei possessori ejus, quod impendit, repetitio difertè negatur.

H h

negatur;

negatur, Nisi expensæ necessaria fuerint: aut, si sint utiles, separabiles, salvâ re principali & sine prioris statûs læsione: quæ hujusmodi utilium exceptio etiam desumitur ex *l. Utiles 39. in fine ff. de Hæredit. petis. § l. Julianus 37. ff. de R. V. in cuius sine JCT. 2. iste in area, quam scivit alienam, ædificanti expensarum retentionem non permissam: Hoc tamen ei concedendum, respondit, ut sine dispendio domini area tollat ædificium, quod posuit. Ratio est; quia, quod domino non nocet, ædificanti autem prodest, facillè est indulgendum.*

67. Non parùm tamen hujusmodi separabilium impensarum deductioni adversatur Imperator §. *Ex diverso 30. Instit. de Rev. divis.* in alieno solo domum ex sua materia ædificanti ne quidem istius dirutæ materiam concedens; quòd eâ ædificatione materia alienata & domino donata intelligatur, si in alieno solo ædificium strui non ignoravit: qui textus DD. adedò torquet, ut non desint, qui domûs dirutæ materiã perdi, Juris rigore, æquitate autè spectatã, à malæ fidei possessore recuperari, velint cum Gothofredo *in l. Julianus cit.* Verisimilior istius legis cum §. *cit.* conciliatio est; quòd iste spectet casum, quòd domus ædificatur in solo alieno, ab ædificante non occupato & possessore; quòd tali casu ejus materia alienata & domino donata præsumatur: contra *l. cit.* procedat casu, quòd domus in solo alieno, sibi acquirendi animò occupato, malæque fide ab ædificante possessore extracta fuit; cum enim talis donandi animus, si non probetur, non habuisse præsumatur, *arg. l. Si pupilli 6. §. 3. ff. de Negot. gest.* nam domûs non solùm diruta, sed etiam stantis, sine istius detrimento & dispendio domini separabilem materiã non perdit, sed permittitur auferre; ne domijus cum alieno damno locupletetur, ut

aliqui notant apud Salycetum, *in l. Si inferioriorem cit. n. 5.*

Voluptuarias & merè voluntarias impensas non deduci, à fortiori desumitur ex *l. cit.* ex quibus hujusmodi impensarum, ne quidem à re sine istius detrimento separabilium, deductionem permissam, infertur; quòd legibus illis expensarum separabilium, si utiles sint, detractio malæ fidei possessori concedatur, Salycet *in l. Domum cit. n. 1. in fine, Menoch. cit. remed. 15. n. 545. Covarr. in Reg. Pœnitentium, p. 2. cap. 6. n. 4. & Molina Tract. 2. de J. & J. disp. 725. n. 10. in fine.*

Atque hæc procedunt in externo: in interno autem siye animæ foro etiam malæ fidei possessor illasã conscientia detrudere ac retinere ante judicis sententiam potest impensas utiles, rei æstimationem & utilitatem augentes; quasque in rem facturus ejus dominus non fuisset; quia in foro isto, ante sententiam etiam iniquus alienæ rei possessor dominum locupletiore reddere non tenetur, sed satisfacit, si eum servet indemnem *jurta dicta n. 62.* quia rem cum iis, quæ, si dominus possessionem non amisisset, habiturus erat, restituendò, retentis hujusmodi impensis, præstat, *cit. Covarr. n. 3. Molina n. 13. & Haunold. cit. tract. 3. n. 21.*

ARTICULUS IV.

De Restitutione Fructuum, faciendâ à bonæ fidei successore Spoliatoris, aliòve ejusmodi Possessore.

SUMMARIUM.

70. Hujusmodi Spoliatoris successor & possessor cum re fructus nondum perceptos.

71. Et perceptos in se adhuc extantes,
 72. Et ex consumptis restituit, in quantum factus est dñior, si aliena hereditatis:
 73. Secundum aliquos etiam, si aliarum rerum bona fidei possessor sit.
 74. Verius hujusmodi successor fructus consumptos indiscriminatus non restituit,
 75. Sive Jus, sive ratio spectetur.
 76. Post litem contestatam, si res non evincatur, nullos:
 77. Si evincatur, omnes fructus perceptos & percipiendos restituit.
 78. Expensas ejusmodi successor & possessor Necessarias & Utiles,
 79. Saltem separabiles,
 80. Et nonnullis casibus etiam inseparabiles:
 81. Non etiam Voluptuarias deducit:
 82. Nisi quoad partem aliquam in foro conscientia.
 83. Possessor ante bona, post mala fidei, extantes pro bona,
 84. Et pro mala fidei tempore, omnes fructus restituit.
 85. Is, cujus mala bona fides supervenit, si Universalis, omnes:
 86. Si singularis successor sit, habit a ratione temporis, extantes, vel omnes fructus restituere tenetur.

cui adherent, l. Fructus 44. ff. de R.V. & iste cum fructibus necdum separatis pro una eademque re habeatur, l. fin. §. 6. ff. Quae in fraud. credit. & in eadem Vindicatione fundus & fructus ejus, à solo necdum separati, veniant propter unitatem, l. Julianus 13. §. 10. ff. de Act. empti, Barbosa in l. Divortio 8. §. Interdum 15. ff. Solutio marim. n. 5. & Haunold. Tom. 1. de J. & J. tract. 3. n. 265.

Dubium tamen est primò de fructibus, ab ejusmodi singulari bonae fidei possessore perceptis & adhuc extantibus: de quibus Doctorum varius, & verior sensus est, istum, re à spoliato evicta, fructus naturales & industriales ex illa perceptos & in se adhuc extantes (quorum domini in revocabile acquisivit) domino restituere teneri, ut cum Sylvestro V. Fructus, n. 2. Covarruvia Lib. 1. Var. cap. 3. n. 6. Menoch. Recuper. possess. remed. 15. n. 596. Medina de Restitut. q. 10. concl. 2. & aliis docent Laiman Lib. 3. f. 5. tract. 2. cap. 3. n. 5. Palao Tract. 31. disp. unic. p. 24. §. 7. n. 8. Haunold. cit. Tract. 3. num. 268. Bruneman in l. Certum 22. C. de R.V. n. 3. & RR. alii, permoti rescriptò Imperiali l. cit. cujus perspicuus tenor est, Certum est, mala fidei possessores omnes fructus solere cum re ipsa praestare: bona fidei verbò possessores ante extantes, post litem autem contestationem universos.

Dubium secundò & difficillimè resolutionis controversia est de ejusmodi fructibus consumptis: quos à bonae fidei possessore aliena hereditatis, in quantum is locupletior factus est, restituendos, clare proditum est l. Illud quoque 40. ff. de Heredit. petit. cujus §. 1. JCT.º ait, In bona fidei possessore bi tantum fructus veniunt in restitutione quasi augmenta hereditatis, per quos locupletior est factus. Consonat. l. Sed etsi 25. §. 1. ff. §. l. 1. C. eadem Rubr.

H h 2

Sicut

70. Spoliato, re, cujus possessione vi dejectus est, ab hujusmodi sive singulari bonae fidei & antecedentis spoliationis ignaro successore evicta, an cum illa etiam fructus, & quinam restituendi sint, resolutionis minimè expedita, multisque difficultatibus involuta quaestio est; quantumvis enim Certum sit, spoliato cum re evicta restituendos omnes fructus, necdum perceptos, sive adherentes solo, ac pendentes; cum hujusmodi fructus sint pars fundi,

73.

Sicut ab hereditatis, sic & à cuiusvis alterius rei evictæ bonæ fidei possessore naturales & industriales fructus, ex re jam perceptos & consumptos, in quantum is locupletior factus est, restituendos cum Panormit. in *c. Gravis* 11. n. 6. Bartolo in *l. Et ex diverso* 35. ff. de R. V. n. 7. & Covarr. *cit. n. 6.* communi calculo sentiunt T. T. quibus hanc suam Opinionem præter *ll. cit.* contra quoscumq; alienæ rei possessores persuasit Primò §. *Et si in rem* 2. V. *Et si, Instit. de Offic. judic.* ubi Imperator ait, *Et si hereditas petita sit, eadem circa fructus interveniunt, quæ diximus de singularum rerum petitione, scilicet rem cum fructibus consumptis, in quantum possessor factus est locupletior, restituendam.* Secundò, *Reg. Jure Naturæ* 206. ff. & *Reg. Locupletari* 48. in 6. quibus cavetur, ne quis cum alterius detrimento locupletetur: sic autem bonæ fidei possessor locupletaretur, si, re evictâ cum fructibus extantibus domino restitutâ, consumptos, quorum consumptione factus est locupletior, retineret. Tertio; quòd fructus, quorum consumptione factus est locupletior, licet non in se, æquivalenter tamen in lucro possessoris, consumptione locupletati, extant; ac proinde aliorum fructuum perceptorum & extantium instar ipsi quoque venire debeant in restitutione.

74.

Sed verius est, bonæ fidei possessores cæteros rei evictæ fructus consumptos restituere non teneri, quantumvis eorum consumptione facti sint locupletiores, ut in *c. Gravis cit.* Glossa V. *Fructus*, Ant. de Butr. n. 12. Imola n. 4. Beroius n. 29. & in *l. Certum cit.* Cynus n. 4. Salicet. n. 3. & ex aliis DD. Garzias de *Expens. cap. 23. n. 4.* Pinell. in *l. 2. C. de Restind. vendit. p. 2. cap. 4. n. 74.* Fachineus *Lib. 1. Conrovers. cap. 58.* Donell. *Lib. 4. Comment. Civil. cap. 24. §. De fructibus*, & plures alii

JCT. i moderni & ex T. T. *cit.* Palao §. 7. n. 12. & Haunold. *Tract. 3. n. 281.* defendunt. Fundamentum, quò nituntur, unicum est; quòd Jura, agentia de rei evictæ fructuum restitutione faciendâ à bonæ fidei possessore, aliter de hereditatis, aliter de cæterarum rerum fructibus loquantur; & sicut illius fructus consumptos non nisi, in quantum ejusmodi possessor eorum consumptione locupletior factus est, *ll. cit.* sic istarum fructus tantum extantes restituendos decernant *l. Certum cit.* consumptos verò non restituendos aliorum *l. Sed & loci 4. §. 2. ff. Finium regund.* & ad istorum restitutionem adversus bonæ fidei possessorem agi & hunc condemnari posse, negent *l. Questum 40. ff. de Acquir. rer. dom. §. Si quis à non domino 35. Instit. de Rer. divis.* Cui rationi non parum roboris inde accedit; quòd passim receptâ & ab oppositæ sententiæ Assertoribus agnitâ tribunalium praxi, & Jure quoque nostro Provinciali & Andrecht *Tit. 9. art. 10.* consumpti fructus bonæ fidei possessoribus, locupletationis ullâ ratione non habitâ, adjudicantur: quæ praxis & statutum particulare in dubio pro communis Juris interpretatione potius, quàm correctione accipienda sunt, arg. c. *Cum non expediat 29. de Elect. in 6. §. l. Præcipimus 32. in fine. C. de Appellat. Panormit. Lib. 2. Consil. 78. & Tulchus Prædic. V. Correctio, conclus. 1037. num. 1.*

Resolutionem quidem hanc primò occurso difficilem reddit, sed non convellit Imperator V. §. *Et si cit.* quia eadem in hereditatis & singularum rerum petitione intervenire ait; quòd utrâque petitione agatur pro fructibus: licet pro his non eodem modo eademque extensione utrâque agatur; cum petitionem fructuum rerum singularum minus, quam petitionem fructuum hereditatis exten-

ali, liquet ex *ll. in utramque partem allegatis*. Rationem discriminis reddit *cir. Haunold. n. 277.* quod, cum possessor hereditatis possideat pro heredem, quidquid ipsi tanquam heredi accessit, cum haeres revera non sit, accesserit hereditati evaseritque pars universitatis bonorum hereditarium; atque idcirco in ista comprehensi fructus cum eo, ex quo possessor factus est ditior, eadem actione, qua hereditas, petatur. Alia ratio est fructuum rerum singularium; qui, cum istarum pars non sint, non eadem actione, qua hujusmodi res, scilicet Rei Vindicatione: sed implorato iudicis Officio, vel Conditione sine causa, vel ex Lege petuntur.

Minus urget ex *Reg. citr.* petitum argumentum; quia, esto, Naturali Jure spectato, lucrum, cum alieno detrimento perceptum, obnoxium sit restitutioni, Jus tamen illud, sicut alienam rem subijci prescriptioni bonae fidei possessoris, sic illi lucrum, ex rei alienae, bona fidei possessore, fructuum consumptione proveniens relinqui, non vetuit legibus: quibus singularium rerum fructus consumptos ejusmodi possessori addictos, est offensum: & huic addicendi iustissima causam praebuit evitatio & exclusio litium & conscientiae anxietatum, quae ex incertitudine & difficultate probandi lucrum, quod fructuum consumptione perceptum est, saepe nascerentur.

Neque vim habet postremum; quia legum, extantes fructus domino addicentium, verba, cum sine ullo incommodo possint, accipienda sunt proprie, *arg. l. Non aliter 69. ff. de Legat. 3.* quod modo sumpto *Extantium* nomine in se & realiter, non aequivalenter tantum, sive in lucro, ex illorum consumptione proveniente, extantes venire, extra omnem dubium est.

76. Dubium tertio est de restitutione

fructuum, perceptorum post litem contestationem. Et quidem, si res non evincatur, nullam fructuum restitutionem bonae fidei possessorem non gravari, certum est; quod litem denuntiatio & ipsa etiam contestatio bonam fidem non impediatur, nisi quoad fructuum restitutionem & dependenter ab exitu litem rei que evictione faciendam, *l. Qui scit 25. §. fin. ff. de Usur. & fruct.*

Si vero res evincatur, dubitandi ratio est; quia possessor circa rem, quae postea evincitur, fidem habere bonam, eamque esse suam judicare potest: eamque cum ipse suam esse judicat, indefensam relinquere non debet, *l. Illud quoque 40. pr. ff. de Heredit. petit.* Cui rationi *citr. Garzias cap. 23. n. 25. & Sanchez cap. 23. n. 193.* id tribuunt; ut malam fidem litem contestatione tum demum induci asserant, quando ista, vel denuntiatio litem ita facta est; ut possessor prudentis arbitrio judicare debeat, rem, super qua litem mota & contestata est, non esse suam; quod in actoris libello talia allegata sint argumenta, quae rem esse alienam, verisimile reddant. Unde casu, quo hujusmodi argumenta in ingressu litem non allegantur, & quousque res evicta sit, aut saltem ejusmodi argumenta & probationes appareant, bonae fidei possessorem a fructuum restitutione DD. *citr.* exculant, idque desumunt ex *l. Si fundum citr.* qua cum fundo evicto restitui jubentur *Fructus, quos eum, possessorem, mala fide percepisse, fuerit probatum.*

Sed licet haec istorum DD. Opinio non solum benigna, sed aequitati quoque & rationi naturali valde consentanea sit, ab ipsa tamen litem contestatione perceptos ac percipiendos fructus indiscriminatim omnes a quovis possessore restituendos, liquet ex *l. Certum citr. §. l. Sed etsi 25. §. 7. ff. de Heredit. petit.* ubi ratio red-

Hh 3

tio red-

tio redditur; quod *Post litem contestatam omnes incipiant mala fidei possessores esse: quin imò post controversiam motam, sive litem denuntiationem; quod Juris ita præsumptis fictione vel interpretatione scire incipiant, vel intelligantur, rem ad se non pertinentem se possidere. Quæ fructus restituendi obligatio eâ præcipuè nititur ratione; quod super re conventus possessor, licet revera malæ fidei non sit, à litem tamen contestata die & momento à fructuum consumptione abstinere, eosque diligenter custodire debeat, quousque controversiæ motæ exitum cernat: & si quos ex illis, lite pendente, consumperit, suo periculò id fecerit: réque evictâ cum extantibus etiam consumptos, licet ditior factus non sit, instar veri malæ fidei possessoris restituere, compellatur, Panormit. inc. *Gravis cit. n. 15. ubi Beronius n. 17. Menoch. cit. remed. 15. n. 596. & Haunold. Tract. cit. n. 290.**

78. Dubium quartò est, quas impensas deducere valeat spoliatoris bonæ fidei successor singularis, aliúsve hujusmodi fidei possessor. Necessarias & utiles quoque, si à re sine ejus detrimento ac dispendio domini separabiles sint, deduci ab iis posse, nemo est, qui inficietur; cum tales etiam à malæ fidei possessore deduci posse, dictum sit *n. 65.* utiles autem & à re inseparabiles expensas ejusmodi spoliatoris successor, & bonæ fidei possessor alius deducunt. Primò, si dominus eas factas approbavit, aut ipse erat facturus, *l. In fundo 38. ff. de R. V. ibi, Finge & dominum eadem facturum fuisse: reddat impensam, ut fundum recipiat usque eo duntaxat, quo pretiosior factus est;* nam consuetudo domini prima eorum, quæ impensa sunt, regula est; ut rectè impendat, qui sumptus fecit, quos ipse dominus erat facturus, *Mævius p. 6. decis. 187.* Secundò, si dominus rem, quæ bonâ fide possessa ab alio & melior reddita est,

habeat venalem, & propter factas in eam impensas utiles ex ejus pretio plus sit consecutus, *l. cit. in fine & l. Nisi si venalem 29. ff. eadem Rubr. Tertio, si dominus sit dives & habeat, unde expensas illas abtque rei suæ alienatione refundat, arg. l. In fundo cit.*

Quod si dominus ita sit pauper, ut expensas solvere nequeat sine evictâ, aut aliarum rerum valde necessariarum alienatione, possessor eam servare nequit; impensas tamen in eam factas, quatenus utiliter potest, tollere permittitur ita; ut deterior non reddatur, quàm fuit, antequam in eam fierent impensæ; nisi ablata domino ad nihil utiles futuræ essent; cum enim malitiis hominum indulgendum non sit, possessori id, quò ablatò nihil, nisi ut officiat, laturus est, tollere volenti non est indulgendum; cum ita obesse velit, quin sibi prodesse possit: quod malitiâ non vacat, *l. cit.* Quare tali possessori rem evictam restituenti expectandum est, donec ei ex fructibus satisfieri possit, *Haunold. cit. tract. 3. n. 295.*

Voluptuariarum quoque seu merè voluntariarum impensarum deductionem bonæ fidei possessori iis saltè casibus, quibus eas ipse dominus erat factururus, aut rem ratione hujusmodi impensarum, v.g. incrustationis, picturarum, a quarum salientium, aliarumque ad solam recreationem & splendorem comparatarum curius venditurus, permittit, desumitur ex *l. Utiles cit. §. 1.* & ratio est; ne cum jactura aliena dominus locupletetur, contra *Reg. Jure Naturæ 206. ff. & Reg. Locupletari 47. in 6.*

Quin extra hos etiam casus Voluptuariarum impensarum partem aliquam juxta spem lucri, quod ex illis dominus verisimiliter consecuturus est, à bonæ fidei possessore deduci in foro animæ posse, cum *Card. de Lugo de J. & J. disp. 17. n. 63. cen.*

63. censet *cit.* Haunold. n. 302, quod dominus quoad spem illam revera aliquam utilitatem consequatur & locupletior evadat.

83. Dubium est quintò, an & quos fructus restituat possessor, cujus fidei bona supervenit mala. Non ficta & indòcta litis denuntiatione vel contestatione; de qua jam dictum: sed vera, orta ex superveniente cognitione rei alienæ, quàm antè existimavit esse suam. Cujus, donec evicta fuerit, fructus possessori acquiri, & restitutioni ante sententiam judicis obnoxios non esse, volvere Baldus, in l. *Qui scit* 25. §. *fin. ff. de Usur. & fruct.* & in c. *Gravis cit.* Imola n. 7. Anchoran. n. 11. & Berouius n. 36. ducti l. *cit.* cujus §. *fin.* Julianus JCT.^{us} ad quæstionem, an fructus perceptione suos faciat emptor, qui post sementem jactam in terram ante messem cognovit, fundum esse alienum, respondit, *Bona fidei emptor quoad fructus percipiendos intelligi debet, quamdiu fundus evictus non fuerit; Quod istius JCT. responsum manifestè pugnat cum l. Qui bona 23. ff. de Adquirend. rer. dom.* quàm Ulpianus magis Christianè de domino, cui servus alienus bonà fide servit, *Tandem, inquit, acquirit ex operis servi, quamdiu bonà domini fide servit. Ceterum si ceperit scire, eum esse alienum. Videmus, an ei acquirat; Quæstio in eo est, utrum initium spectemus an singula momenta: & magis est, ut singula momenta spectemus; ut scilicet ab eo momento, quò dominus notitiam habet rei alienæ, ei tanquam malæ fidei possessori non acquirat, ut etiam Paulus l. *Bona fidei* 48. §. 1. in *fine. ff. eadem Rubr.* respondit, & disertissimè S. Augustinus *Lib. de Fide & Operib. cap. 7.* ubi ait, *Tandem quisque bona fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum. Cum verò sciverit, nec ab aliena possessione reces-**

serit, tunc mala fidei possessor perhibetur, ut refertur can. Si Virgo 34. q. 2. Ratio est; quia quoad mores & conscientiam perinde est, injustè retinere, aut consumere, & injustè accipere.

Quare ab eo momento, quò possessor rei alienæ scientiam habet, tanquam malæ fidei possessor fructus nullo modo (etiam revocabiliter) facit suos, eosque restituere tenetur, Covarruvias *Lib. 3. Var. cap. 3. n. 7. cit.* Menochius n. 592. Garcias n. 13. Molina *Trat. 2. de J & J. disp. 725. n. 1.* & Bruneman, id in Orbe Christiano receptum, asserens, n. 4. in l. *Qui scit cit.* quàm & l. *Qui bona l. Bone cit.* relata JCT.^{orum} responsa ut ab Antinomia, & *can. Si Virgo cit.* à correctione abolverent, Interpp. multo labore desudârunt. Complures de concordia omnino desperârunt. Non etiam *cit* Garcias à n. 16. l. *Qui scit cit.* accipiens de superveniente cognitione rei alienæ solummodo ficta, quæ inducitur litis denuntiatione; hâc enim possessor quoad fructus percipiendos in mala fide vera non constituitur, quamdiu fundus non fuerit evictus, sive in judicio non exhibita documenta, ex quibus cognoscere potuit, eum esse alienum & evincendum: contrà l. *Qui bona & l. Bona & can. Si virgo cit.* textus de cognitione rei alienæ non ex actu judiciali, sed aliunde orta & vera notitia exaudit. Quam conciliationem etiam probant Fachineus *Lib. 1. Controvers. cap. 59. ad finem* & Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 23. n. 153.* Unde

Dubium sextum oritur de possessore, cujus malæ fidei supervenit bona. Et quidem, si in persona, fictione tantum juris eadem, ut est hæres cum defuncto, malæ superveniat bona fides propria hæredis, ista, sicut ad rei præscriptionem, l. *Cum heres* 11. ff. de Divers. temp. præscript. sic etiam ad perceptionem fructuum non proficit.

proficit, l. Litigator 2. in fine C. de Fruct. & lit. expens. quodd, cum hæres in omne jus defuncti succedat & istius personam repræsentet, ignorantia & bona fide sua defuncti vitia, siue malâ fidem non excludat, & istius instar rem malâ fide possidere intelligatur: licet ipse revera habeat bonam, Panormit. in c. Gravis cit. n. 10. ubi Beroius n. 38. & Menoch. cit. reméd. 15. num. 168. quibus locis hi DD. secus esse notant in successore singulari, v.g. cui una vel plures res singulares à malâ fidei possessore fuerunt legatæ; cum enim iste personam defuncti, in cujus possessionem succedit, non repræsentet, rei ab illo malâ fide possessæ sibi que legatæ fructus suos faciet, si eam bonâ fide ipse possideat: etsi hodie quoad hujusmodi rerum immobilium præscriptionem aliud constitutum sit, Auth. Mala. C. de Prescript. longi temp.

Si verò malâ fidei bona in una eademque persona succedat, & v.g. Titius fundum, quem prius esse alienum existimârat, & malâ fide possederat, nunc possideat bonâ fide & iustâ ratione persuasus, credat esse suum, quoad fidem malam bonamque singula momenta spectanda sunt, juxta l. Si bona cit. ut talis initio malâ, postea bonæ fidei possessor, re à domino evictâ, pro tempore anteriori malâ, instar aliorum malâ fidei; & pro bonæ fidei posteriori tempore, aliorum hujusmodi fidei possessorum instar, reputetur, & fructus restituere teneatur, cit. Panormit. n. 10. Beroius n. 40. Menoch. n. 916. & Sanchez n. 156.

ARTICULUS V.

De Spoliati Restitutione in causis Matrimonialibus.

SUMMARIUM.

87. Frequens hæc est in Matrimoniis:
88. Non tamen ante ejus contractum.
89. Eò ratò spoliatus conjux non adhibetur,
90. Sed ad cohabitationem & est restituendus:
91. Nisi restitutioni opponatur professio Religiosa.
92. Eò consummatò spoliatus restituatur,
93. Et spoliante recipere debet.
94. Restitutionem impediendi obiecta parata:
95. Non ex intervallo faciendâ, probatio moratur.
96. De impedimento certus debium etiam reddere nequit:
97. Etiamsi urgeat iudicis præceptum,
98. Impedimentum sit Juris humani,
99. Et persona longissimo tempore fuerint conjuncta.
100. De impedimento dubitans id solum exigere nequit:
101. Nisi dubium sit leve, vel adhibita diligentia possit deponi.
102. Mutuum votum Continentiæ restitutioni adhibetur:
103. Non etiam ad cohabitationem & obstat.
104. Eandem obiecti adulterii notorietas:
105. Non ejus quoque parata probatio moratur.
106. Restitutionem etiam impedit sceleria,
107. Et quodcumque salutis periculum:
108. Quò cessante illa statim succedenda est.

Spoliationum casus non infrequenter in Matrimoniis occurrunt & accedunt, cum v.g. à marito propria auctoritate recedit uxor, aut hæc ab

illo ita expellitur. Cujusmodi Spoliationibus in iudicium Ecclesiasticum deductis, quando desertus aut expulsus conjux tanquam spoliatus ante omnem aliam cognitionem, & quâ ratione, restitendus sit, ut plenius constet, frequentius occurrentes spoliationum causas & casus discutere & oculis subijcere juvabit.

88. Primus, quod mulier, in viri domum quidem deducta: sed inter hunc & ipsam matrimonium per verba de presenti nondum est contractum. Quod casu mulierem, si à viro fugiat, non statim restituendam, *c. Ex parte 14. aperta decisio, & ratio expedita est; quia ex una, tanquam spoliatus ad restitutionem agere nequit, qui non possedit; cum, ubi non datur possessio, locum non habeat spoliatio: quam restitutio præsupponit, ut in *c. cit.* cum Glossa *V. Commodo* notat Panormit. *num. 4.* ex altera verò parte, liber homo possidere nequit sine titulo, saltem colorato, per quem jus in eum, sibi personalter obstrictum, sit quæsitum, *l. Cim heredes 23. §. 2. l. Qui universas 30. §. 1. ff. de Acquir. possess.* cujusmodi titulus sunt professio Religiosa & matrimonium, quod mutuo consensu per verba de presenti expressò: non solâ mulieris in viri domum translatione, accedente etiam carnali copulâ, contrahitur, *l. Quæsitum 9. ff. de Spons. & matrim. §. l. Nuptias 30. ff. de R. j. Glossa in *c. Extramissa 8. V. Et ab eo, ubi Hostiensis n. 2. Joan. Andr. n. 5. & Sanchez Lib. 7. de Matrim. disp. 112. n. 4.***

89. Secundus est, quod mulier à viri domo fugit post matrimonium, inter eos per verba de presenti contractum, sed nondum consummatum. Quod etiam casu restitutioni locum esse, *in *c. Extramissa 8.* cum Glossa *V. Et ab eo, negant Innocentius III. n. 4. Hostiens. n. 11. & Ancheranus à n. 1. Movenitur, quod *c. cit. & c. Ex conquestione 10.* mulieris restitutio**

concedatur ex ratione; quod non solum desponsata, sed etiam cognita fuerit: & *c. Causam. 14. de Probat.* mulieris necdum cognita restitutio negetur viro, à quo recessit: sed ea in Monasterio collocari jubeatur. Rationem reddunt; quod ante carnalem copulam, cum matrimoniû solummodo ratum sit, recessus à viro & Religionis à Sede Apostolica approbata ingressus mulieri permittatur, *c. Verum 2. & c. Ex publico 7. de Convers. conjug.*

At melius *in *c. Ex parte cit.* Panormit. n. 25. Imola num. 11. eoque secuti Alex. Carerius Lib. 1. de Sponsal. cap. 3. Gutierrez de Matrim. cap. 122. n. 10. & cit. Sanchez num. 8.* tali casu mulierem viro, quoad cohabitationem & cum ista conjuncta cetera obsequia conjugalia: non etiam quoad thorum restituendam, desunt ex *c. cit.* cujus casu mulieri in viri domum traductæ restitutio ab Innocentio III. ex ea ratione denegata est; quod, propter præcedentium sponsalium & legitimi consensû defectum, obligatorium vinculum inter eos non sit contractum. Unde argumentò à contrario ductò infertur, casu, quod hujusmodi vinculum præcessit, restituendam saltem quoad cohabitationem & obsequia; quia in cohabitationis & cum ista conjunctorum obsequiorum quasi possessione per translationem jam fuit constituta.

Neque hujusmodi restitutioni adversantur, *c. Extramissa, & c. Ex conquestione cit.* textus; quia his agitur de plena restitutione, etiam quoad thorum: ad quem restitutio tali casu faciendâ non est; cum ante carnale commercium quoad illum in possessione, ac proinde spoliata, non fuerit. Neque etiam *c. Causam 19. 90. cit.* quia isto secundum Glossam, *V. Pontis,* agitur de casu speciali, quod mulier nondum cognita per exceptionem opponebat, se monacham & professam Religio-

onem: cui per vota solennia perpetuo adstrictam vir, etiam quoad cohabitationem & alia jura conjugalia, deslit possidere: et si eam in domum traductam, quoad ista possederit ante professionem: & aliò, quam Religionem ingrediendi animò, recedentem repetere possit, *cit. Sanchez n. 8.*

91. Tertius est, quò uxorem maritus expellit, aut ab isto illa spontè recedit post matrimonium consummatum: & marito vel uxori, restitutionem petenti, neque impedimentum neque crimen opponitur. Quò casu possessoriò recuperanda agentem quoad thorum etiam restituendum, patet ex *c. Ex transmissa cit.* quia plena mulieris tanquam uxoris possessio acquiritur per copulam carnalem, quà conjuges una caro efficiuntur, & matrimonium consummatur; ut propterea conjugem post eam proprià autoritate deserens aut expellens desertum, aut expulsum, tanquam matrimonii quasi possessione injustè dejectum, redeundò, vel eum recipiendò restituere teneatur, *Interpp. & DD. cit.*

At quid, si conjux restitutionem petens priùs fuit in culpa, *vg. maritus uxorem expellendo, aut hæc ab illa fugiendo?* Spoliatorum privilegiò eum non gaudere, ac proinde maritum, *vg. si expulsum repetat, non restituendum, sentire S. Thomas in 4. dist. 14. in fine, & suadere videtur ratio; quòd possessionem ipse liberè dimiserit: non eà spoliatus sit ab uxore.*

92. Sed melius hoc quoque casu maritum, si expulsum repetat, & hæc ad ipsum reverti reuatur, restituendum *in c. Literas 13. cum Glossa, V. Divertit, Panormit. n. 9. Joanne Andrea n. 19. & aliis rectè defendunt cit. Sanchez Lib. 10. dist. 12. n. 9. & Barbosa in c. Significasti 4. de Divort. n. 4.;* quòd, sicut uxor, cum expelleretur, spoliata est à marito: sic iste ex tempore, quò repetita reverti & marito

cohabitare renuit, ab uxore spoliatus censetur, *arg. l. Si clam. 6. in fine, ff. de Acquir. poss.* Cujus ulterior ratio est; quia nulla temeritas aut culpa conjugis, excepto adulterio, per se directè & perpetuò derogat juri matrimoniali. Unde aliam ob causam conjugum unus ab altero proprià autoritate recedens, si repetatur, reverti debet: & si repetitus renuat, alterum spoliare censetur, *Laiman. de Matrim. p. 3. cap. 5. n. 7.*

Neque obstat; quòd expellens animò amittendi possessionem, hanc amittat: nec recuperet, quantumvis habeat animum eam recuperandi, *l. Si quis 7. in fine, ff. de Acquir. possess.* quia possessio in matrimonio specialiter privilegiata est; ut ita, saltem irrevocabiliter, non amittatur; aut amissa solò animò recuperetur eò ipsò; quòd expulsum vel desertus conjux repetatur; cum tanquam accessoria matrimonio sapiat naturam istius: quæ est, ut solo consensu non dissolvatur, ut *arg. c. 1. de Sponsa dote. & c. Quoniam 2. de Conjug. leprof. notat cit. Panormit. n. 9.*

Quartus est, quò post matrimonium consummatum marito uxoris recedentis: aut huic expulsa, illius restitutionem petenti, excipiendo opponitur impedimentum dirimens, *vg. consanguinitatis, aut affinitatis, indeque proveniens conjugii nullitas.* Quo casu plurimum interest, an excipiens objecti impedimenti probationes paratas in continententi offerat, vel non; cum si eas ita habeat paratas; ideòque non longi, sed arbitriò judicis, brevis temporis, puta, paucorum dierum, dilationem petat, restitutio, antequam de objecto impedimento cognoscatur, faciendâ non sit ad thorum; propter periculum animæ & timorem gravissimi incestus peccati committendi ab eo, qui impedimenti confici-

us reddi-

94. us redderet debitum conjugale: sed ad solam cohabitationem & alia jura conjugalia: recepto tamen prius ab excipiente juramento, quod impedimenti obiectio non malitiose fiat, *c. Literas 13.* quia ex tali restitutione nullum imminet periculum animæ & peccati, Panormit, *in c. cit. n. 6.* & Vivianus *in c. cit. §. 1.* Si verò probationes ita paratas non habeat, & propterea longi temporis dilationem petat, restitutio facienda est ad thorum; quia hęc casu præsumptio stat contra eam, quæ à viro sine iudicio Ecclesiæ recessit, *c. cit.* quæ per præsumptionem fortiozem, ex paratis probationibus ortam, non eliditur, Vivianus *ibid. §. Si verò.*

Neque in contrarium facit; quod *e. 1. de Ord. cognit.* prius de objecta consanguinitatis exceptione cognoscendum asseratur, quàm restitutio facienda; quia *in c. cit.* casu non Possessorii recuperandæ, sed Petitorium fuit intentatum; cum mulier in domum mariti nondum fuerit deducta, ut colligitur ex verbis, *Mulier pecebat quendam in virum.* ut ibi notant Panormit. *n. 3.* & Gonzalez *n. 2.*

95. Hac tamen resolutione non obstante mulier restituta, si consanguinitatis vel alterius impedimenti dirimentis, quod in continenti probare non potest, inter se & virum intercedentis, certam notitiam habeat, ab isto conjugale debitum exigere, aut exigenti reddere non potest; cum enim viri talis conjux vera non sit, carnale cum eo commercium rationem habet fornicationis, nullo casu permittæ, Clement. *Ad nostram 3. V. Septimò,* iunctâ Glosâ *V. Non est, de Hereticis:* & prohibita Jure non solum humano, sed Divino; cum S. Paulus eam fugiendam asserat ex voluntate Dei, *1. Corinth. cap. 6. V. 18.* & annumeret operibus, quæ qui agunt, Regnū Dei non consequentur, *Galat. cap. 5. V. 1.* & in isto hereditatem non habebunt *Ephes. cap. 5. V. 5.* Imò Naturalis

cum rectæ, & à Natura per conjugium intentæ proli educationi adferetur, ut cum *S. Thoma 2. 2. q. 154. art. 2.* docent ceteri TT. & Canonistæ.

96. Neque, ut Hostiensis in *Summa de Conjug. Servor. n. 8.* & Hugo de *S. Viatore de Sacrament. p. 11. cap. 6.* voluerunt, ejus redditionem cohonestat præceptum Ecclesiæ, ad eam per excommunicationis censuram compellentis, ut cum eodem S. Doctore *in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. questunc. 4.* Turrecrem. *in can. Cujus rei, 29. q. 2.* docent Sylvester *V. Matrimonium 2. q. 15.* Navarrus *Manual. cap. 16. n. 39.* & Covarruv. *de Sponsal. p. 2. cap. 7. §. 2. n. 7.* decisumque est ab Innocentio III. *c. Literas 13.* cujus §. *Porro cum de muliere, consanguinitatis certam notitiam habente, & ad debitum reddendum ita compulsâ; dicitur; quod Contra Deum non debet iudici in hoc obedire, sed potius excommunicationem humiliter suscipere.* Cui consonat *c. Inquisitioni 44. de Sent. excom.* relatum ejusdem Papæ de ejusmodi conjuge rescriptum, *Debet potius excommunicationis sententiam humiliter suscipere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortales;* quod ad non suam accessus fornicarius pro nullo vitæ aut famæ periculo evitando, etiam accedente quacunq; autoritate & imperio humano, licitus sit.

97. Neque etiam illa debiti redditio, Prælati Ecclesiastici Præcepto urgente, honesta & licita est, quando impedimentum est Juris solum Humani, ut, quibusdam aliis, sed fere malè allegatis, voluit Henriquez *Lib. 12. cap. 3. n. 2. lit. K.* partim; quia *c. Inquisitioni cit.* Papa de consilio impedimenti loquitur generaliter; ac proinde cujuscunque & quocunque Jure introducti: imò *c. Literas cit.* cum impedimenti consanguinitatis meminit, addit, *Præsertim in gradibus Divinâ lege prohibitis*

bitis: quibus verbis non obscure insinuat, debitum reddi non posse, etiam à confcio consanguinitatis, Jure solùm humano matrimonium dirimentis; quia dictio *Præsertim* implicativa est, & idem juris esse denotat in casu opposito, non expresso, Barbofa *Ufusfreq. distione 277. à n. 3.* Partim verò; quia ex una, impedimentum dirimens, quod Jure humano introductum est, conjugium etiam nullum, eoque laborantium personarum carnale commercium fornicarium reddit, antequam in eo ab Ecclesia fuerit dispensatum: ex altera verò parte, judex Ecclesiasticus excommunicationis comminatione, aut sententiâ ad id compellens, eò ipsò in impedimento dispensare non censetur, & ferè semper non potest; cum, si eò ipsò dispensaretur, impedimentò postea detectò, non essent separandi, vel dispensatio procuranda, ut alius DD. relatis rectè observat *cit. Sanchez Lib. 2. disp. 39. n. 6.*

28. Non denique; quòd personæ bonâ fide & longo, vel etiam longissimo tempore fuerint in conjugii juriùmque conjugialium quasi possessione; quia matrimonium, aut contra ipsum præscribi non potest; ac proinde nulla quancunque temporis, possessio vim habet efficiendi, ut veri conjuges sint, & verorum conjugum instar licitè copulentur, qui conjuges esse propter intercedens impedimentum dirimens, quocunque Jure prohibente, non possunt, arg. *e. Non debet 8. §. fin. de Consang. & affinit.* aut contrà, qui matrimoniali vinculo legitime conjuncti & copulati aliquando fuerunt, conjuges esse ante mortem desinant, Matth. *cap. 19. Ubi Gloisa in c. Lator 7. V. Permanere. de Sent. & re judic. & Franc. Balbus de Prescript. p. 1. pr. p. 6. n. 3.*

29. Si mulier restituta impedimenti certam notitiam non habeat, id tamen inter se & virum intercedere credat, huic

debitum exigenti reddere tenetur; quòd ipsum in possessione matrimonii existentem jure suo privare in dubio non potest, ex laudati Innocentii III. decisione, *c. Inquisitioni cit. V. Verùm, cum relata: n. 10.* dubium sive latentis impedimenti opinio, vel potiùs suspicio levibus argumentis niteretur; hujusmodi enim dubio & suspicione in super habitis, sive, ut *c. cit. V. In secundò, dicitur, Conscientiâ levis & temerarie credulitate explosâ,* licitè posset non solùm reddere, sed & exigere debitum conjugale, *cit. Gutierrez cap. 49. n. 23. Sanchez disp. 41. n. 42. & Barbofa in c. cit. n. 5.* Quin, si, adhibita ad veritatem indagandam omni diligentia, non leve ac temerarium, sed etiam probabile dubium perseveret, debitum non reddi duntaxat, sed exigi quoque ab eo posse, cum Soto *Lib. 4. de Justit. q. 5. art. ult. & alius docent Valentia Tom. 4. disp. 10. q. 6. p. 2. cit. Sanchez n. 46. Barbofa n. 5. & Palao Tract. 28. disp. 3. p. 5. §. 9. cum;* quòd talis justè continuat matrimonii possessionem: rem autem bonâ fide possidens, si, an ea sua sit, superveniens dubium, omni diligentia adhibita, nequeat vincere, non solùm possessionem continuare, sed eâ etiam uti possit: tum verò; quòd, omni diligentia adhibita, dubium deponere non valens habeat impedimenti ignorantiam invincibilem, matrimonii usum ab omni culpa excusantem. Ut autem huic doctrinæ *V. Verùm cit. & c. Dominus 2. de Secund. nupt. textus* non adferentur, istis conjugii, de impedimento dubitanti, solam redditionem, non etiam exactiorem debiti permissam, aiant, antequam ad veritatem investigandam debita diligentia adhibita sit; ne bonæ fidei possessor ob dubium invincibile in perpetuum à rei possessæ usu debeat abstinere.

Quintus est, quò marito *vg. uxore* remque

rem, quæ ab ipso propriâ autoritate di-
vertit, repetenti ista excipiendò opponit
votù perpetuæ Continentiæ, mutuò con-
sensu ab utroque editum; itaque factam
mutuam renuntiationem juris exigendi
debitum conjugale; & ad hoc in conti-
nenti probandum se offert. Quò casu
mulierem, si à viro divertens Religio-
nem ingressa sit, non restituendam, non
nulli *c. Dudum 21. de Convers. conjug. de-*

cisum credunt, & rationem reddunt; quia
agitur de periculo animæ & peccati, sive
violationis voti, quod uxor statim resti-
tuta subiret. Ita in *c. cit. Vivianus &
Barbosa n. 1.* Quorum sententiæ facile
accedo, si spoliati conjugis restitutionem
ad communem duntaxat thorum; non
etiam, si eam ad cohabitationem & ob-
sequia conjugalia faciendam spectet; quia
vi ejusmodi voti conjux uterque ab ex-
actione duntaxat & redditione debiti ab-
stinere tenetur; non etiam à cohabitandi
& cætera obsequia exhibendi obligatio-
ne liberatur; ut Religione ingredi valeat,
alterò invitò, ut cum Innocentio in
*c. cit. & Turrecremata in can. Quod Deo,
33. q. 5. n. 1. & Interpp. aliis rectè observat
cit. Sanchez Lib. 9. disp. 37. n. 14.* Quare,
hòc invitò aut insciò, illam ingressus ad
desertit & ingressu illò spoliati conjugis
restitutionem per instaurationem coha-
bitationis & obsequiorum illorum exhi-
bitionem faciendam obligatur, & com-
pelli potest. Qua de re sermo redibit
Lib. 3. Tit. 32. n. 22.

104. Sextus est, quò vg. eidem marito, di-
vertentem uxorem repetenti, hæc obji-
cit adulterium. Quò casu, vel adulte-
rium per ejus confessionem, legitimam
probationem, aut facti evidentiam, vg.
quòd prolem ex alia fulceperit, notorium
est, vel non? Si prius, uxorem ei non re-
stituendam, patet ex *c. Significasti 4. de
Divor. n. 1.* nisi adulterium commisisset

etiam uxor, *c. cit. in fine. c. Ex literis 5.
eàdem Rubric. & c. Intelleximus 6. de Ad-
ulter. n. 1.* Si posterius, uxoris restitutio
statim & plenè, etiam quoad thorum, fa-
cienda: eaque jam factâ primùm adulte-
rium probandum; & si legitimè proba-
tum fuerit, ad divortium est proceden-
dum, per ea, quæ plenius traduntur *Lib.
4. tit. 19. à n. 76.* Hic resolvendum est

Dubium, an statim & plena restituti-
o facienda etiam sit, cum adulterii ob-
jecti probationem paratam uxor in conti-
nenti offert; hòc enim casu restitutionem
impediri, cum SS. DD. Angelico in *4.
dist. 35. q. Unic. art. 3. & Seraphico ibid.
art. Unic. q. 3.* volunt Sylvester *V. Divor-
cium, q. 8. & Gæta in can. Ad limina, 30.
q. 1. §. 4. n. 216. arg. c. Literas cit. ex cu-
jus decisione cum conjugis spoliati resti-
tutionem excipiendò objectæ consanguini-
tatis in continenti oblata probatio im-
pediat, restitutio etiam differenda erit, si
spoliato objecti adulterii probatio in con-
tinenti offeratur: neque illa adversus of-
ferentem justè poterit peti; cum dolo
agere videatur, qui petit, quod mox est
restituturus, *l. Dolo 59. ff. de R. J.**

Verùm, quia *c. Literas cit. impedi-* 105.
menti consanguinitatis parata, & in con-
tinenti oblata probatio restitutionem,
aliàs ex generali Regula sine ulla cuncta-
tione, & ante omnem cognitionem fa-
ciendam, *l. 1. C. Si per vim, vel alio modo
& c. 1. hæc Rubr. Specialiter & unicè mo-
rata est propter periculum peccati mor-
talis incestus, ex ea imminens, ut in *c. 1.
cit. Glossa V. Contentionem, Hostiens. n.
4. Baldus n. 2. Beroius à n. 30. & in *c. Li-
teras cit. Glossa V. In continenti Panorm.
n. 18. Imola n. 13.* atque alii notant: &
cum hujusmodi peccati periculo conjun-
cta non est restitutio mariti, adulterii ex-
ceptione gravati; cum etiam hujus cri-
minis reo, non etiam consanguineo suo
mulier**

mulier carnaliter conjungi sine peccato possit, ex eo; quod consanguinitatis aut alterius impedimenti dirimentis excipiendò objecti parata probatio restitutionem moretur, arguere non licet, etiam adulterii objecti paratâ & in continenti oblatâ probatione spoliati conjugis restitutionem impediri. Quare, *c. Literas* est. decisione non obstante, hęc casu in spoliati favorem & odium spoliantis introducta spoliati confestim & ante omnem aliam cognitionem restituendi necessitas urgebit, ut cum *cc. cit.* & aliis Interpp. docent Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 7. §. 75. à n. 9.* Menoch. *Recup. remed. 2. n. 114. & à n. 139. cit. Sanchez Lib. 10. disp. 12. n. 22.*

Neque hanc necessitatem minuit Regula *l. de Dolo* cit. quia ista possessionis adipiscendæ duntaxat, non etiam recuperandæ Interdictò & ex spolio agentibus obstat, quò minus sine cunctatione, & ante omnem aliam contentionem, restituantur, juxta dicta *n. 3.*

806. Septimus est, quò marito, uxorem recedentem repenti, ista excipiendò obicit magnam sævitiam, vel odium capitale, indèque sibi imminens grave periculum. Quò casu maritus quidem tanquam spoliatus restituitur: at non antè, quàm is de malo aliquo, uxori non inferendo, per pignora, aut fidejussorem, & aliquando per solum juramentum præstiterit cautionem. Si etiam sic mulieris incolumitati non satis consultum, & à viri nimia sævitia, odiòve in furorem abeunte, grave aliquod, præsertim irreparabile, damnum timendum rationabiliter existimaretur, illa apud parentes vel cognatos aut in Monasterio, aliòve loco tuto collocanda esset, donec viri sævitia emendetur, *est. c. Ex transmissa & c. Literas, V. Si verò tanta, ubi Panormit. n. 7 & aliis relatis duo Barbozæ, Petrus in Rubric. ff. So-*

luto matr. p. 2. n. 26. Augustin. in 1. cit. num. 8.

Octavus denique est, quò conjux, v. g. uxor à marito divertit propter aliud grave corporis vel animæ periculū, v. g. quòd vir ipsam inducat ad idololatriam, hæresim, veneficium, sui prostitutionem, vel aliud flagitium, quod aliâ viâ averti facile non potest. Quò casu, sicut illi recessus, tanquam medium necessarium ad ejusmodi peccatum evitandum, permisus est Jure Naturali & Divinò, juxta illud, *Si oculus tuus scandalizat te &c.* Matth. *cap. 18. v. 9. & can. Idololatria, 28. q. 1. ut aliis DD. relatis, docet Palao Trañ. 28. disp. 3. p. 6. §. 9. n. 3.* sic etiam maritus possessorium recuperandæ intentans non audeatur, antequam hujusmodi periculum cesset. *arg. c. ex Transmissa* cit. Hęc autem cessante, omnino erit restituendus, ut *arg. c. Quasvit 2. de Divortii*, docent *cc. Sanchez disp. 17. n. 13. Pontius Lib. 3. de Matrim. cap. 23. n. 2. & Palao §. cit. n. 4.* Ratio est; quia propter hujusmodi periculum divortium licitum duntaxat est ad tempus, quò id perseverat, hęc ipsò quòd perpetui divortii causa ferè nulla sit præter fornicationem, juxta explicationem textus Matth. *cap. v. 32. tradendam infra Lib. 4. Tit. 8. n. 5. & Tit. 19. n. 96.*

ARTICULUS VI.

De Restitutione Spoliati Beneficiò Ecclesiasticò vel Pensione.

SUMMARIUM.

109. *Etiam beneficiò spoliatus restituatur:*
 110. *Non tamen, si ei objectus defectus proprietatis notarius sit.*
 111. *Sec.*

111. Secundum multos, cum ei Juris
presumptio adversatur,
112. Imò semper titulus est exhibendus,
113. Verius iste semper necessarius non
est,
114. Sive Jus, sive ratio spectetur:
115. Es beneficium sine titulo possideri
potest,
116. Idem non exigitur, cum spoliato
obstat presumpcio Juris:
117. Nisi ista fundat intentionem oppo-
nentis,
118. Aut cum Possessorio Petitorium ca-
muletur.
119. Spoliati restitutioni beneficii renun-
tatio ante,
120. Non post spoliationem, facta ob-
stat.
121. Neque etiam renuntiationi adje-
ctum juramentum;
122. Nisi istò non ante,
123. Sed post spoliationem prestitò, eti-
am actio spoliij sit remissa.
124. Metus non irritat juramentum.
125. Restitutioni obstat renuntiatio post
spoliationem coram iudice:
126. Per procuratorem ante spoliatio-
nem constitutum,
127. Aliquando in favorem tertij facta:
128. Imò quaecunque, quam sponte sa-
ctam, eisdè constat.
129. Etiam pensione spoliatus restitui-
tur:
130. Licet possessionem non iustificet ti-
tuli exhibitione.

109. **R**egulæ de Spoliatorum restitu-
tione traditæ, sicut in incor-
poralibus aliis, sic in Dignita-
tibus quoque & cæteris Bene-
ficiis Ecclesiasticis est locus. An autem
istorum quasi possessione indebitè de-
jectorum restitutionem objectus proprie-

tatis defectus non moretur, dubitandi
ansam præbent varii, huic præsertim Ru-
bricæ subiecti textus.

Et quidem, si beneficiò spoliato ex-
cipiendò objectus proprietatis defectus
notorius sit; quòd id obtinuerit ab eo,
qui non habet potestatem instituendi; vel;
quòd ille laicus & possessionis beneficii
incapax: quòd hæreticus, ac proinde be-
nificii proprietate & ipsa etiam possessio-
ne privatus: quòd conjugatus, vel bene-
ficii simoniacè, aut aliàs non canonicè
consecutus sit: & horum aliquid, vel ex
ipsiusmet confessione aut sententiâ, quæ
in rem judicatam transit, vel ex legitimis
probationibus in iudicio constet, eum non
restituendum, magnò DD. consensu &
Curiarum stylò receptum est, cum; quòd
notoriò proprietatis defectu, rerum eti-
am corporalium possessione spoliatorum,
restitutionem aliquando impediri, dictum
sit n. 40. tum verò; quòd ejus restitutio-
ne vitiosus in beneficium ingressus apertè
induceretur, contra Reg. 1. in 6. Panor.
in c. In literis 5. n. 28. Covarruvias Pra-
ctic. cap. 23. n. 4. Menoch. Recup. remed.
15. à n. 433. & Flamin. Lib. 13. de Re-
signat. q. 5. à n. 123.

Simili modò, quoties contra spo-
liatum, beneficii sine titulo, vel cum titulo
vitioso obtenti, Juris presumpcio est;
quòd v.g. beneficium cum eo, quò spoliatus
restitui petit, de Jure incompatible ob-
tineat: quòd ætatis vel natalium defectu
laboret, Beronius in c. In literis cit. n. 87.
Selva de Benef. p. 3. q. 5. Menoch. l. cit. n.
466. & apud hunc alii, eum auctoritate
iudiciali non restituendum, docent, ante-
quam suæ possessionis titulum, saltem ap-
parentem seu coloratum, ab eo, qui con-
ferendi potestatem habet, obtentum ex-
hibeat: vel se ab Archidiacono aliòve, cui
competit, missu in ejus possessionem, aut
in hæc

in hac diu & pacificè stetit, doceat: quòd DD. *citt.* defumunt ex *c. Ad decimas 2. in 6.* quòd textu decimis spoliato propter aduersantem sibi Juris præsumptionem, antequam de possessionis suæ titulo doceat, restituito denegatur: idèmq; Juris esse in beneficiis, liquere aiunt ex *c. Constitutus 8. de Filiis Presbyt.* & ex *c. Si constitutus 12. de Accusat.* quorum textuum priori ad clerici, capellæ possessione dejecti, restitutionem præter probationem spoliationis exigitur; ut ipsius patrem, capellæ perpetuum Vicarium non fuisse, constet; quòd beneficium obtinere volenti Jus adueretur, *c. Michael 11. de Filiis presbyt.* & c. posteriori Ecclesiã suã spoliatus Sacerdos restitui tum demum jubetur, si de Canonica ejus institutione seu titulo constiterit; quòd ea ad tempus duntaxat commendata, & propter crimen amissa diceretur. Pro ratione reddunt evitacionem vitiosi ingressus in beneficium, ex restitutione, ante tituli exhibitionem factã, imminētis.

¶ 12. Imò non pauci & magni in Jure nominis DD. clericum, recuperandæ Possessorium super beneficio intentantem, generaliter, etiam cum nulla Juris præsumptio ei aduersatur, restituendum negant: nisi justificet, aut saltem coloret titulum suæ possessionis. Rationem reddunt; quòd possessio beneficii admixtam habeat causam proprietatis, & involvat titulum; cum sine Canonica institutione (ejus titulum & proprietatem clerico asserente) nequeat obtineri, *Reg. cit.* Quando autem possessio proprietatis titulum involvit, ut sine isto alicui competere non valeat, possessoriò recuperandæ agenti, hoc ipso; quòd possessio ei probanda sit, etiam hanc constituens titulus saltem coloratus sit probandus, per ea, quæ *arg. c. Ex parte 14.* dicta sunt n. 88. Quam rationem & Opinionem non parùm firmat praxis seu

stylus curiæ Romanæ, ab ejusmodi spoliatis exigentis exhibitionem tituli, quò, vel ejus ex diuturna & pacifica detentione & administratione ortã præsumptione amissã beneficii possessio vel justificetur, vel saltem coloretur. Quòd licet in praxi obtinere inficias non eam, hòc tamen casu, quò recuperandæ possessionis Interdictum super beneficio intentanti præsumptio non obstat,

Juri magis, & rationi etiam satis conformem censeo sententiam Panormit. in *c. In literis cit. n. 23.* & Zabarella in *Clement. Unic. de Causa poss. Opposit. 9.* Laiman. in *c. In literis cit. n. 2.* & aliorum; qui, licet clerico, ad beneficii restitutionem agenti, tituli saltem colorati exhibitionem à judice ad se informandum ex officio imponi posse, concedant; ejus tamen exhibitionem exigi posse, negant ad instantiam spoliatoris, clerico spoliato per exceptionem Canonice institutionis & proprietatis defectum opponentis; quòd id apertè adueretur *c. Accepta 3. pt. 11. c. In literis cit. c. Conquerente 7. b. a. R. v. & Clement. cit.* quorum textuum primitivè spoliatus sine ulla mentione exhibitionis tituli restitui jubetur; alterò prorsus de beneficiati spoliati violenta ejectione, quàm de ejus Canonica institutione agendum, discretè asseritur pari modò, sine ulla tituli justificandi, vel etiam colorandi mentione; & hujus ratio redditur; quòd secundum rigorem Juris restituendus etiam sit prædo, qui possessionis iusto titulo vel maxime est destitutus: certis, clericus beneficio spoliatus antè restitui; restitutione autem jam factã, quæ contra eum sunt, proponi jubentur. Postremò, si spoliatus petat, procedendum dicitur in solo Possessorio: quòd non fit, cum titulus probandus est, vel colorandus. Id ipsum suadent ratione; quòd beneficii possessionem habere clericus valeat sine jullo

justo titulo; & id obtinens in dubio justè potius, quàm injustè possidere præsumatur, præsertim cum de Jure clericus omni beneficio non debeat carere, *c. Cum secundum 16. de Præb. & dignit.*

115. Quòd beneficii possessio vel quasi sine titulo Canonico acquiri valeat, *citt.* DD. ostendunt primò ex §. *Patet* post *can. fin. 3. q. 1.* quò Gratianus, cum Papatum indebitè occupantem, quòd careat superiore, qui adiri valeat, illò dejici sine iudicio posse, asseruisset, eos, qui sedes ac beneficia inferiora quoquò modò, etiam indebitè & per violentiam occupant, si non per iudicem, sed violenter ejecti sint, sicut de Civili Jure prædones, ante omnia esse restituendos, ait, luculentò argumentò, sedes seu Prælaturas & beneficia Ecclesiastica sine titulo possideri, saltem injustè, posse. Secundò; quòd clerici possessionis beneficiorum de Jure sint capaces; ac proinde, si ea etiam sine titulo acquirant, eorum possessionem saltem injustam nanciscantur, & non sint eorum meri detentores; quia tales respectu hujusmodi jurium spiritualium ferè soli laici esse censentur, *c. Ex literis 6. de Transact. & c. In Ecclesia 2. de Institut.* Tertiò; quòd etiam rei, cujus acquisitio quoad proprietatem Jure prohibetur, possessio acquiri de Jure possit, *arg. l. 1. §. 4. ff. de Acquir. possess. & l. 1. §. 9. ff. de Vi armata*, dummodo huic, ut spiritualium possessioni à laico obtinendæ, *cc. citt. & arg. c. Causam 7. de Præscript.* Jus non resistat, hunc reddendò incapacem. Imò ex *Reg. 1. cit.* dum beneficium sine titulo licitè obtineri posse, negat, id sine isto saltem illicitè & quoad possessionem, acquiri posse inferatur; ut istà indebitè spoliatus, juxta *c. Ex literis & alia cc. citt.* ante omnia restituatur.

Ex his planè corrui fundamentum adversæ partis, clerico Recuperandæ pos-

sefforium super beneficio intentanti, etiam cum nulla Juris præsumptio ei adversatur, possessionis suæ exhibitò titulò aliòve modò justificandæ, vel saltem colorandæ necessitatem imponentis; cum ista nullò Jure aut solidà ratione fulciatur, ut ait Panormit. *Prælit. q. 4. n. 7.*

Neque adversatur; quòd possessorio Recuperandæ agens super beneficio expressè reservato ante tituli colorationem non restituatur; quia non ista solum, sed ipsa tituli justificatio necessaria est, ut hujusmodi beneficium spoliatus restituatur; quòd reservatio non titulum tantum, sed ipsam quoque possessionem inficiat; ut in eum, cui id ab alio, quàm à Papa collatum est, nec proprietas nec possessio, sed nuda detentio transferatur, propter decretum irritans reservationi annexum; ac proinde ipsam etiam possessionem inficiens & annullans, ut insinuat *c. Si ex eo 45. de Elect. in 6. verbis, Ille effectu careant ea, quæ postmodum subsequuntur, Rota Decis. 3. in novis, Navarrus in c. Accepta 3. Opposit. 10. n. 36. & alii apud Menoch. *citt. Remed. 15. n. 444.**

Quin, inspecto Jure, & Curia praxi 116. seclusà, super beneficii spolio agentem clericum etiam, cum Juris præsumptionem contra se habet, ante omnia restituendum, non obscurè tradi videtur *c. Ex insinuatione 3. de Procurar.* ubi Archidiaconus, cui de Jure communi aliam præbendam cum Archidiaconatu simul habere non licet, *c. Quia nonnulli 3. de Cleric. non resid. c. De multa 28. de Præb. & dignit. & c.* prius restitutus; & tum deum probare coactus fuit titulum sive Canonicam institutionem; quòd scilicet ad beneficiorum pluralitatem secum fuerit dispensatum, ut cum Glossa in *c. Ex insinuatione cit. V. Probare*, notat Panormit. *l. cit. n. 29. & q. 4. cit. n. 7.*

Neque in contrarium facit *c. Ad de- 117. cimas*

K k

simas cit. quia istius decisio procedit de casu, quò Jus commune non solum, ut *e. Ex insinuatione cit.* adversatur spoliato: sed insuper fundat intentionem spoliatoris opponentis: quò casu restitutionem spoliati, donec suæ possessionis titulum exhibeat, impediri, in *e. In literis cit.* haud ægrè concedit Panormit. n. 29. & notant Laiman n. 3. & Gonzalez n. 13.

¶ 118. Neque magis urgent textus *e. Constitutus* & *e. Si confiterit cit.* Prior, quia eò (ut omittam; quòd, defectum proprietatis notorium fuisse, ex adversariis observet Barbosa *ibi* n. 4.) Petitorio simul & Possessorio iudicio actum fuisse, constat ex litera, quà clericus se capellam canonicè adeptum, eaque pacificè possessà spoliatum, simul est questus. Casu autem, quò utroq; illo iudicio simul agitur, tituli quoque discussio restitutioni præmittenda est, ut in *e. Constitutus cit.* notant Laiman, & Gonzalez uterque n. 2. Eadem iudicia cumulata verisimiliter aliqui asserunt textu posteriori. Alii & verisimilius ejus decisionem niti aiunt, ex confessione vel probatione judiciali ortà notorietate criminis, ad Ecclesiæ privationem sufficientis & impediens restitutione, ut in *e. Si confiterit cit.* notat Panorm. n. 8. & Gonzalez in *e. In literis cit.* n. 12. Exhis

¶ 119. Aliud, & non minoris difficultatis, quàm momenti, dubium nascitur, an clerici beneficiò spoliati restitutionem, ante omnia faciendam, impediatur exceptio renuntiationis. Cuiusmodi haud sanè levem præbent geminæ in speciem apertè contrariæ Juris nostri decisiones; eùm, sicut renuntiatione illam non impediri *e. Sollicitudine* 2. sic renuntiationis examen restitutioni præmittendum, perspicuè decisum sit *e. Accepta* 3. Quibus decisionibus ne Alexandri III. de eodem Juris articulo non eundem semper fuisse sensum, ejusque Rescripta antinomix vitiò laborare videantur, *cc. cit.* in speciem sibi adversantes

textus in concordiam reducere, variis expositionibus excogitatis, Interpp. sunt conati. Mihi præ aliis satisfacit distinctio, quæ eos cum Navarro in *e. Accepta cit. Opposit.* 1. à n. 12. conciliant Gonzalez in *e. Sollicitudine* n. 1. & Pirrhing *ad hanc Rub.* n. 54. vel enim clericus super beneficii spolio ad restitutionem agens, eò spoliatus fuit post, vel ante renuntiationem? Si prius, restitutioni præmittenda est cognitio objectæ renuntiationis, *e. Accepta cit.* Si posterius, ante omnem de ista contestationem est restituendus, *e. Sollicitudine cit.*

Ratio prioris est; quia renuntiatio, sponte & in superioris manibus facta, notorium defectum proprietatis beneficii per eam dimissi inducit, *e. Ex transmissa* 3. & *e. In presentia* 6. de Renuntiat. cuiusmodi proprietatis defectus ad evitandum vitium ingressum in beneficiò, istò spoliati restitutioni obstat, juxta dicta n. 70.

Ratio posterioris est; quia beneficii renuntiationem, ut defectum proprietatis inducat, & clericum super beneficii spolio agentem repellat, in legitimi superioris, eam admittentis, manibus liberè & sponte factam esse, necesse est; eùm absque superioris autoritate facta invalida, *can. Denique*, 6. q. 3. & *e. Admonet* 4. de Renuntiat. vi autem metive extorta, si non, ut plurimum opinio est, nulla ipso jure; infirma tamen & obnoxia sit recessioni, *e. Super hoc* 5. Rubric. *cit. c. de au-* res 3. & *e. Ad audientiam* 4. de lit. qua vi metusve causa: eam autem, quam spoliatio præcessit, non factam in manibus legitimi superioris plerumque, & vitiosè fuisse extortam, in dubio semper præsumatur, *e. Sollicitudine cit.* quia, ut rextus habet, *Non est verisimile, quòd sponte juri suo renuntiaverit, qui renuntiatum spoliatus;* eùm beneficium, quod multis fortè impensis & laboribus ad sui sustentationem à clerico quaesitum est. Spontane sine magna causa non facile dimittatur, *e. Super*

Super hoc cit. Ita cum cit. Navarro & aliis DD multis Flaminius Lib. 13. de Resignat. q. 5. à n. 1.

Neque obstat; quòd beneficio renuntians id habere censeatur pro derelicto; itaque amisisse ejus proprietatem, & ipsam etiam possessionem, arg. l. 1. Sc. ff. Pro derelicto, quia hoc de spontanea, non etiam de metu extorta, renuntiatione procedit, juxta c. Sollicitè cit. quod à Rota decisum, idem notat n. 13.

121. Dubium tertio est, an beneficio spoliati restitutioni obstet ejus post spoliationem factæ renuntiationi adjectum juramentum. Cujus resolutio pendet à modo, quòd hoc illi est adjectum; cum juramentò vel renuntiatione solummodo confirmari: vel insuper actioni super spolio renuntiarì possit.

122. Priori enim modò adjectum juramentum restitutioni ante omnia faciendæ non obstat, clarè traditur c. Sollicitè cit. verbis, Contra eum, spoliatum, testes alterius partis de juramento & renuntiatione sponte facta, antequam restitutus fuerit, non admittat. Ratio est; quia hujusmodi juramentum solummodo concernit beneficii proprietatem: non etiam possessionem, quæ repetitur super spolio intentatâ actione: cui proinde &, ad quam ista tendit, spoliati restitutioni, sicut simplex, sic etiam jurata renuntiatione non obstat, ut cum Glossa in c. cit. V. Spoliatum & aliis advertit Gutierrez p. 3. de Juramento, cap. 19. n. 22. Accedit; quòd, sicut renuntiationem, sic & juramentum vi metive extortum ac præstitum esse, præsumptio sit; cum sequatur naturam actûs, cui est adjectum, l. fin. C. de Non numerata pec. cit. Flamin. n. 17. & Gutierrez num. 21.

Posteriori quoque modò præstitum restitutioni non obstat, si juramentum præcessisset ipsam spoliationem; quia ante

hanc præstitum nullum foret; cum perinde, ut actionis Doli aut Furci committendi jurata remissio, invitet ad delinquendum, & bonis moribus adverteatur arg. l. Si unus 27. §. 4. ff. de Pactis: de eoque procedat Reg. Non est 58. in 6. Panormit. in c. Sollicitè cit. n. 16. ubi Berolius n. 44. cit. Menoch. Remed. 1. n. 289. & Flamin. n. 61.

Si autem actioni super spolio post hoc jam factum cum juramento renuntietur, hoc observandum, & super spolio agentis restitutioni obstare, notat Glossa in Summa, 30. q. 1. casibus, quibus spoliato restituito denegatur, etiam hunc adnumerans; & defendunt cit. Menoch. n. 294. Flamin. n. 53. & Gutierrez n. 21. ex ratione solenni; quòd juramentum hoc bonis moribus non adverteatur, & sine periculo peccati ac tertii præjudicio valeat observari; ut locus sit Regulæ c. Cum contingat 28. de Jurejurando & c. Quamvis 2. de Pactis in 6.

Ne autem huic Resolutioni c. Sollicitè cit. decisio adverteatur, hæc, ut jam dictum, exaudienda est de casu, quòd renuntiatio ei que adjectum juramentum afficit solam beneficii proprietatem: non etiam ejus possessionem.

Neque obstat; quòd, etiam tale juramentum metu præstitum, ex prævia spoliatione præsumatur; quia, cum etiam metu præstitum juramentum irritum non sit, c. Si verò 8. de Jurejurando, à jurante observandum ex obligatione Religionis; &, si, istâ insuper habitâ super spolio agere præsumat, perjurii timore ex officio à judice repellendus est: nisi juramenti consecutus sit relaxationem, quam petenti facilè concedendam, arg. c. cit. cum Belamera c. Sollicitè cit. n. 5. rectè monet Menoch. cit. n. 294.

Non desunt tamen varii casus, quibus beneficiò spoliati restitutioni ejus post spo-

K k 2

123.
124.
125.

post spoliationem factam, etiam simplicis renuntiationis exceptio obstat: & primò quidem, si beneficii renuntiatio facta sit coram iudice competente, & de causa cognoscente; quia autoritas iudicis, renuntiationem ita admittentis, omnem violentiam metusque suspicionem tollit, *arg. l. fin. pr. ff. Quod metus causa*; cum officio suo fungi: & quod iustum est, agere præsumatur, *arg. l. fin. C. de Offic. Civil. iud. præsumptione multò fortiori & vim adimente illi, quæ de metu in renuntiatione interveniente orta est ex prævia spoliatione, ut cum Panormit. in c. Sollicitè cit. n. 10. Alciato de Præsumpt. Reg. 3. præf. 9. à n. 1. & Rebuffo in Praxi, Tit. de Vi in Resig. n. 4. tradit. Flamin. 9. cit. à n. 21.*

196. Secundò, si, antequam spoliaretur, ad resignandum liberè ac sponte constituit procuratorem, qui primùm post spoliationem resignavit; quia ex eo, quòd ad renuntiamdum procurator constitutus sit spontè, ipsa quoque renuntiatio spontanea reputatur; cum procurator renuntiet vi consensùs, non, quem mandans nunc habet, sed eius, quem habuit, quò tempore mandatum dedit; & propterea renuntiatio quoad hunc effectum ad mandati diem retrahatur, Panormit. in c. cit. n. 11. Menoch. *Recup. remed. 1. n. 272.* & Flamin. l. cit. n. 37.

Tertiò, si beneficii renuntiationem, etiam post spoliationem, omnino liberè ac sponte factam esse, certò constat; hoc enim casu super spolio agentem non restituendù, argumentò à contrario ductò, eruitur ex c. *Sollicitè cit. verbis, Quia non est verisimile, quòd sponte juri suo renuntiaverit, qui renuntiavit spoliatus*: quibus redditur decisionis ratio: & si de renuntiatione sponte facta constaret, eam spoliati restitutionem impediendam insinuat, ut in c. cit. notant Panorm. n. 9. & Beroius n. 27. & hanc impediri potest ne-

cessitas vitandi vitiosi in beneficium ingressus, quem beneficii proprietate post talem renuntiationem notoriè carentis restitutio inducit. Quod etiam verum sit, de Curia tamen stylo, quoties renuntiatio facta est in favorem spoliatoris, spoliatum restitui, asserit *cit. Flamin. n. 35.*

Quartò, si renuntiatio non in favorem ipsius spoliatoris, sed alicujus tertii, qui non spoliavit, facta sit, super spolio agentem restituendum, negare videtur Castador. *hac Rubric. Decis. 4.* Et verò, si juxta dicta eum, causa metus cessante, omnino sponte beneficio & spolio quoque actioni in tertii favorem cessisse constat, Non etiam in dubio, an id sponte factum, vel, si beneficii proprietatem duntaxat abdicatam constat; his enim casibus super spolio agentibus etiam in tertii favorem factam renuntiationem non ob stare, negat, communiorum & veterum sententiam secutus, *cit. Flamin. à n. 69.*

Eòdem ferè modò, quò spoliatus beneficii, de Jure etiam restituuntur spoliati Pensione: quod contingit, quoties Pensionarius, cum pensionem de Ecclesie vel beneficii fructibus, qui eam debet, solvere recusat, pro ea recuperanda agit; cum, eò ipsò, quòd interpellatus eam solvere recuset, pensionarium spoliare intelligatur, Innocent. in c. *Subortia 21. de Sent. & 11. judic. & Gigas de Pensionibus 9. 47. n. 1.*

Quantumvis autem à spoliato, Recuperandæ posse sorsio super Pensione agente, tituli saltem apparentis exhibitionem ferè exigat praxis & in hanc præcipuè intentorum DD. sententia communis, pro se allegans, c. *Querelam 24. de Elect. decisionem, quæ spoliatus pro ea agens restitutus asseritur; Quia fuit li- quidò comprobatum, quòd pensio sedecim denariorum annuatim per multa tempora soluta, & de novo subtrahita est. Ex qua ratione à contrario ductò argumentò inferitur, à pensione spoliato, ut restituatur, si-*

est, juris percipiendi pensionem, super
cujus spolio agit, quasi possessionem ex-
hibitione tituli vel saltem diurnæ solu-
tionis probatione justificandam; vel sal-
tem colorandam. Verum quia *c. cit.*,
diurnam solutionem allegari & pro-
bari necessarium solummodo fuit ad pro-
bandam quasi possessionem juris perci-
piendi annuam pensionem, Panormit,
in c. cit. num. 15. Decius *Consil.* 130.
& Vallens. *Lib. 4. de Benef. Tit. 2. n. 3*
de Jure Pensionarium, pensionis quasi
possessione & spoliatione probata, resti-
tuendum docent, quantumvis tituli ex-
hibitione aliave ratione quasi possessio-
nem illam non justificet aut colore; quod
pensionarii spoliati à communi Regula, de
spoliato ante omnia restituendo, excep-
tio, nec exprimitur Jure communi, nec
speciali ratione fulciatur.

ARTICULUS VII.

De Restitutione Spo-
liatorum Decimis &c.

SUMMARIUM.

131. Hi ante possessionis justificationem
non restituuntur,
132. Quoties Jus ipsis resistens assistit
spoliatori.
133. Secus est, si huic Jus non resistat.
134. Possessio justificatur, cum legitime
esse acquisita,
135. Vel durasse probatur immemoriali.
136. Longissimo, vel saltem longo tem-
pore.
137. Elidente contrariam Juris presump-
tionem.
138. Id in aliis juribus obtinere Negan-
tium Opinio,
139. Et fundamenta.
140. Verius possessio justificanda est, quo-
ties Jus spoliato resistit & assi-
sit spoliatori,

141. Sive Juris ratio,
142. Sive in contrarium allatorum ex-
tuum expositiones spectentur,
143. Laici non restituuntur ante posses-
sionis justificationem,
144. Sive decimas percipiendi jure,
145. Sive immunitate ab earum pra-
statione spoliati sint,
146. Eaque re aequò nimium non gra-
vantur.

PEnè quotidie in judicium dedu-
cuntur Spoliationes, quæ circa 131.
Decimas, & diversimodè contingunt;
aliquando enim earum, ex
fundis, intra suæ Ecclesiæ fines sitis, pro-
venientium, quasi possessione Parochus;
aliquando Parochiani, vel etiam extranei
à Parocho, vel illorum unus ab altero
indebitè deiciuntur. Unde

Dubium nascitur, an de spoliato 132.
ante omnia restituendo tradita Regula
etiam in decimarum, & in qua istarum
spoliatione procedat. Ansam ei præbet
non minùs intricata, quàm famigerata de-
cisio Bonifacii VIII. *c. 2. in 6.* ita rescri-
bentis, *Ad decimas, quas Canonici S. Ni-*
colai se asserunt intra Parochiam Eccle-
sia B. Clerici possedisse aliquamdiu, & eis
per eundem clericum spoliatos fuisse, ne-
quaquam debent restitui: nisi evidenter
docuerint, quòd earum possessionem legi-
timè assécuti fuissent; quia eas occupasse
injustè verisimiliter presumuntur; cum
provenient ex prædiis intra alienam pa-
rochiam constitutis: sitque manifestum,
(nisi aliud ostendatur) eas de Jure com-
muni ad eandem Ecclesiam pertinere. Ex
quo Apostolici Rescripti tenore propo-
sita dubitatio distinctionis auxilio ita re-
solvi solet; ut, licet Parochus decimis ex
prædiis, suæ Parochiæ provenientiibus, si-
ve à parochianis, sive ab extraneis, vg.
ab alicujus Monasterii Abbate, vel alte-
rius e-

Kk 2.

rius etiam Parochialis Ecclesie Rectore dejectus, earum possessione & spoliatio-
ne probatis, ante omnem aliam conten-
tionem cognitionemque restituendus sit:
illi tamen & hi, eiusmodi decimis à Pa-
rocho spoliati, antè non restituantur,
quàm exhibitò titulò, aut aliter docue-
ruit, se decimas justè possedisse.

Ratio discriminis ex *c. cit.* deprom-
pta est; quòd Parochianis & extraneis à
Parocho, aut etiam ab alio, v.g. Mona-
sterii Abbate decimis spoliatis Jus com-
mune non assistat, imò potius ipsis resi-
stat: & contrà assistat Parocho, super
decimarum, intra Ecclesie suæ fines pro-
venientium, perceptione intentionem
suam ac præsumptionem fundatam ha-
benti in SS. Canonibus, illas ipsi attri-
buentibus, *c. Cum contingat 29. c. Cum
in tua 30. Et. de Decimis*; ac proinde,
sicut à Parocho, Juris pro se militantis
assistentià munitò, quando super ejusmo-
di decimarum spolio ad restitutionem ag-
git, ultra possessionis & spoliationis pro-
bationem aliquid exigendi nulla: ita Pa-
rochianis & extraneis illis à Parocho spo-
liatis, tanquam Juris super earum perce-
ptione sibi faventis præhidiò carentibus,
ultra probationem illam possessionis suæ
justificationem injungendi justissima ra-
tio sit.

133. Neque ex eo; quòd etiam extraneis,
super decimarum spolio adversus alium,
quàm Parochum, intra cujus fines illæ
nascuntur, agentibus commune Jus ad-
verletur, possessionis suæ titulum exi-
gendum, legitime infertur; quia *c. Ad
decimas cit.* decisioni locus eò solum ca-
su est, quò Jus illud spoliato resistit &
simul assistit spoliatori: quòd, cum ex-
traneorum nemini, sed soli Parocho assi-
stat, tituli exhibitio eò duntaxat casu ne-
cessaria erit, quò Recuperandæ possessio-

rium super decimis adversus Parochum
intentatur, ut cum Glossa in *c. cit. V. Et
undem*, Franco *ibid. n. 9.* & aliis Interpp.
tradunt Navarrus in *c. Accepta 3. Opposi.
10. n. 21.* Covarruvias *Prædic. cap. 17.
n. 9.* Canisius in *Rubric. de Decimis cap.
16. n. 4. & 5.* duo Barbosa, Petrus in *l.
Si de Vi 37. ff. de Judiciis n. 131.* & Au-
gustinus in *c. Ad decimas cit. n. 6.* id bene
notandum utiliter monens. Unde

Dubium secundum oritur, quòd rati-
one decimarum possessio sit justifican-
da. Ratio dubitandi est; quòd *c. cit.*
Canonicis, iis à Parocho spoliatis, resti-
tutio denegetur, *Nisi evidenter docuerint,
quòd earum possessionem legitime assensu
fuisse.* Ex quibus verbis, sicut eam
tituli exhibitione satis justificari perispi-
cum, ita ambiguum est, an, titulò de-
ficiente necessaria sit allegatio & proba-
tio possessionis immemoriali tempore
continuatæ; hanc enim omino necessa-
riam, non obscurè insinuat Bonitacius *c.
cit.* Canonicorum, super decimarum spo-
lio adversus Parochum agentium, alle-
gationem, quæ, *eas se aliquandiu possi-
disse*, asserebant, rejiciens: *Et c. 1. de Præ-
script. in 6.* ad præscriptionem ab eo, cui
commune Jus resistit, si titulò munitus non
sit, exigens possessionem tanti temporis,
cujus initii memoria non existit.

Sed, licet à Parocho decimis spoli-
tus, quando has immemoriali tempore à
se possessas ostendit, restituendus omni-
no sit; cum tanti temporis possessio vim
habeat tituli & privilegii, à Principe ex
certa scientia concessi, *c. Super quibusdam
26. pr. V. Præterea, de V. S. Et. Hoc jure
3. §. 4. ff. de Aqua quorid. Et est.* eamque
pro se habenti titulum probare; imò al-
legare non sit necessè, Glossa in *c. cit. V.
Titulus, Et V. Nisi*, Barbosa *de Præscript. p.
2, p. 13. q. 7. n. 17.* & Covarruvias in *Reg.
Possessor*

136. *Possessor. p. 2. §. 3. n. 8. V. Hinc falsum:* id tamen ad decimarum restitutionem aduersus spoliatorem parochum obtinendam minimè necessarium: sed sufficere, quòd spoliatus, se in earum pacifica possessione minori, & quòvis longissimo aut saltem longò tempore fuisse, ostendat, cum Archidiacono in *c. Ad decimas cit. V. Aliquamdiu*, Panormit. in *c. Cum Ecclesia 9. de Causa possess. n. 25. junctò n. 49. Franco in c. Ad decimas cit. n. 8. limit. 4. & aliis apertè docent Ferd. Vasquius *Illustr. controvers. Lib. 2. cap. 89. n. 4. Laiman. in c. cit. n. 2. Barbosa ibid. n. 8. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 42. eà permoti ratione; quòd c. cit. à Canonicis Ecclesiæ S. Nicolai, decimis à Parochò spoliatis, contra communem Juris Regulam tituli probatio ideò solum exacta sit; quòd asseruerint, illas à se possessas Aliquamdiu, hoc est, aliquantulò, non longissimo, aut etiam longò multorum, sed paucorum duntaxat annorum brevi tempore; quia dictio, *Aliquamdiu* suà naturà respicit moderationem, ut loquitur, Archidiaconus *V. eòdem*: & propter hujusmodi aliquantulum duntaxat ac breve tempus possessionem injustè occupatam, verisimiliter præsumitur. Quæ injustæ occupationis sive usurpationis præsumptio si tollatur aut infirmetur, decimis spoliatum etiam aduersus parochum restituendum, valdè notabiliter advertunt Panormit. & alii DD. *citt.* Eam autem præsumptionem non solius tituli, aut huic æquivalentis possessionis immemoralis: sed etiam ejusdem possessionis quòvis longissimo, imò & longò tempore pacificè continuatæ probatio vel omnino tollit, vel saltem ita infirmat, ut rationabile dubium sit, ad quem decimæ pertineant: quòd dubiò stante possessio, non *Aliquamdiu* tantum, sed longissimo aut etiam longo tempore continuata, ejus, qui ita**

possedit, conditionem reddit meliorem: non quidem ad acquirendam & stabilendam decimarum proprietatem: sed possessionem, quæ vi & propria autoritate ablata est, autoritate publica & officio judicis recuperandam, ut cum aliis *Interpp. citt.* advertunt laudati Laiman. *n. 2. & Pirrhing. n. 42.*

Confirmantur ista; quia, si decimarum possessores à Parochis, intra quorum fines eæ proveniunt, spoliati nunquam restituerentur, nisi earum possessionem immemoriali tempore pacificè continuatam, probare, aut justum titulù exhibere possint, Parochis daretur causa & nimia licentia, eas propria autoritate occupandi, & in horrea sua inferendi. Quò modò valde iniqua redderetur conditio possessorum extraneorum, qui justè acquisito decimas percipiendi jure Parochorum occupatione frequentissimè exciderent, non sine magno rerum suarum dispendio & perturbatione pacis ac tranquillitatis publicæ: cui nihil magis adversatur, quàm violentæ & privata autoritate attentatæ rerum juriùmque invasiones & occupationes: ad quarum proinde licentiam refrenandam, *c. Ad decimas cit.* decisio restringenda est ad casum, quò decimarum possessione à Parochis dejecti, eas non longissimo aut longò, sed aliquamdiu duntaxat, sive tempore, arbitrio judicis brevi, possederunt. Atque hæc ita firmatà ratione ac discursu planè subruitur, in *c. cit. §. c. 1. de Prescript. in 6. fundatum, & in contrarium allatum argumentum.*

Dubium tertio & resolutionis multò difficilioris controversia est, an *c. Ad decimas cit.* dispositio restringenda sit ad decimas: vel ad alia quoq; jura extendenda; ut, quoties circa jus aliquod spoliato Jus comune restitit, & assistit spoliatori, ille aduersus istum Recuperandæ possessorum intentans non restituatur, antequam modò

137.

138.

modò explicatò justificet suam possessionem. Eam enim ad possessorem hoc adversus Parochum, & super decimis duntaxat intentatum restringendam, suadet & penè persuadet ratio; quòd *c. cit.* dispositio seu decisio à communi, & in maxima æquitate fundata Juris Regula de spoliato ante omnia restituendo recedat & exorbitet; ac proinde, ne ei nimium deroget, atque ad pacem & quietem publicam stabilendam introducti Juris correctio ultra, quàm par est, porrigatur, eam ad *c. cit.* casum restringi, conveniat. *arg. c. Cum expediat 29. pr. de Elect. in 6. Gl. Rrapimus 32. §. fin. C. de Appellat.*

Rationi huic non leve pondus & firmamentum conferunt luculenti textus, non attentà Juris, pro reo super spolio convento contra actorem militantis, assistentià resistentiæque, spoliatum ante omnem aliam contentionem & tituli exhibitionem restitui, præcipientes; sic enim *v. Cum Ecclesia 3. de Causa possess. clerici extranei*, quasi possessione Juris suffragii ferendi in Episcopi electione ab electoribus Capitularibus dejecti, non probatò aut allegatò ullò titulò restituti sunt; quantumvis ipsis resisteret, & Capitularibus, eorum spoliatoribus, assisteret Jus commune, Prælati electionem Capitulo adstruens, *can. Abbatem, 18. q. 2. c. 1. c. Si de terra 16. Ec. de Elect.* Sic post alterius beneficii curati assecutionem, primò, cum illo de Jure incompatibili, ab Episcopo, non servatò Juris ordine, spoliatus, ex ejusdem Bonifacii VIII. Rescripto, *c. Licet 28. de Prab. & dignit. in 6.* restitutus est, antequam pro utroque simul retinendo obtenta dispensatio Apostolica exhiberetur: quantumvis Jus, *c. De multa 28. de Prab. & dignit.* ipsi resisteret & assisteret Episcopo, *c. Licet cit.* Sic *c. Literas 13.* conjugè suà spoliatus eam sibi restitui petit, non obstante exceptione consanguini-

nitatis, etsi hæc impediatur, quò minus eam valeat possidere.

Sed textibus his firmatæ rationis, licet non contemnenda, ea tamen vis non est, ut *c. Ad decimas cit.* decisionem & à communi Regula exceptionem, Parocho duntaxat super decimarum, & non aliis, super aliorum jurium spolio conventis, & Juris, actoribus resistentis, atque ipsis assistentis præsidio munitis, prodesse persuadeat; cum eam super aliorum quoque jurium, præsertim spiritualium, spolio conventis patrocinari, cum Franco *in c. cit. n. 8. Panormit. in c. 19. literis 5. n. 24.* & aliis Interpp. agnoscant Covarruvias *Lib. Var. cap. 17. num. 6.* Gutierrez *Q. Q. Canon. Lib. 2. cap. 21. n. 75.* Canisius *ad Rubric. de Decimis cap. 16. n. 5.* Laiman, *in c. Ad decimas cit. n. 2.* Barbosa *ibid. n. 2. §. 14.* & Pithing *ad hanc Rubr. n. 42.* Ratio est, quia, licet *c. cit.* referatur particularis casus parochi, conventi super spolio decimarum, intra ejus Ecclesiæ fines provenientium, ratio tamen, ab eo spoliatis Canonicis restitutionem denegandi, antequam, se earum possessionem legitimè assecutos, docuerint, redditur generalis; quòd, cum Jus commune ipsorum spoliatori clerico istiusque Ecclesiæ Parochiali assistat: Canonicis autem & Collegiæ Ecclesiæ resistat, atque insuper Canonici decimas *Aliquamdiu* duntaxat, & non multorum longo, sed paucorum annorum aliquantulo & brevi tempore possederint, eas injustè occupasse verisimiliter præsumantur. Quæ generalis ratio, cum, sicut super decimarum, sic etiam super aliorum præsertim spiritualium jurium spolio agentes afficiat, ad hos quoque potest rigitur dispositio *c. cit.* ut, quoties commune Jus pro reo, super eorum spolio convento, militans ipsis resistit, & Jus, quo spoliati sunt, longissimo aut saltem

141. longo tempore non possederunt, non restituantur, antequam doceant, se possessionem legitime adeptos. Quare cum *c. cit.* ratio, sicut de extraneo super decimarum adversus Parochum, ita de eodem extraneo super Primitiarum vel Oblationum aliquamdiu perceptarum adversus eundem: de Episcopo extraneo super jurisdictionis aliquamdiu exercitæ in Ecclesiam vel Capellam, sitam intra fines alienæ diocesis, adversus proprium istius Episcopum: & de Ecclesiæ vel Monasterii inferioris Prælati super exemptionis aliquamdiu possessæ spolio & Recuperanda possessorio agentibus procedat, istos quoque *c. cit.* dispositio comprehendet. Et, si quod antiqui Juris correctoria sit, ad istos non porrigeretur, non satis congruè applicaretur casui, quo Parochiani aliquamdiu possessæ à decimarum præstatione immunitate à Parocho spoliati agunt ad restitutionem; cum *c. cit.* casus non sit de his, aut aliis, decimas ex fundis suis non præstantibus, sed eas percipientibus ex fundis alienis, & intra alienam parochiam sitis: quibus commune Jus multò fortiùs, quàm illis, resistit. Atque ex his penè evanescit pro *c. cit.* restrictione allata ratio.

142. Neque majoris efficaciz est ad hanc & illam firmandam allegata decisio *c. Cum Ecclesia cit.* partim; quia non immeritò quis ambigat, an clericis extraneis Episcopum simul cum Ecclesiæ Cathedralis Canonicis eligentibus, Jus commune resistat; cum secundum Canones antiquiores, Episcopi electio ad istos & Episcopalis civitatis clericos simul pertineat, *can. Obeuntibus, 33. dist. 63.* & Jure recentiori in Prælati electione extraneis vox in foundationis limine de Episcopi consensu reservari, *c. Cum dilectus 8. de Consuet.* iidemque ad suffragium in electione ferendum à Capitularibus admitti, permittantur, *c. Bona*

4. de Posulat. & c. Scriptum 40 de Elect. eamque ob causam vocis ædive: jus extraneis conferentem consuetudinem, potius præter, quàm contra Jus esse, asserat Gonzalez in *c. Cum Ecclesia cit. n. 7.* partim vero; quia præsumptio, si quæ ex Juris resistentia contra clericos extraneos erat, elisa & enervata fuit præsumptione aliâ, pro ipsis militante, & ex diuturna bonæ fidei, tribusque ipsorum suffragationibus, & Canonicorum ipsos admittentium patientiâ, firmatâ juris eligendi quasi possessione; ut mirum non sit; quòd istò propositæ causæ definitio contentanea non sit decisioni, *c. Ad decimas cit.* cum hoc textu Canonici decimas aliquamdiu duntaxat possedisse referantur, Panormit. *cit. n. 39.* Imola in *c. Cum Ecclesia cit. n. 25.* & in *c. Ad decimas cit.* Francus *n. 8.* Laiman *n. 2.* Barbosa *num. 7.* & *cit.* Pirrhing *num. 44.*

Non magis urget *c. Licet cit.* quia in istius casu Jus commune non, sicut *c. Ad decimas cit.* Parocho, ita quoad primi beneficii obtentionem & retentionem cum altero: sed quoad vacantis duntaxat collationem, Episcopo favebat; ut proinde non immeritò clericus, ab ipso alterò indebitè spoliatus, secundum *c. In literis 5. & c. Conquerente 7.* Regulam restitutus fuerit, antequam simultaneam utriusque retentionem, exhibitò titulò justificaret contra decisionem *c. Ad decimas cit.* quia in istius casu, secus quàm *c. Licet cit.* Jus commune quoad ipsam decimarum perceptionem resistebat Canonicis & simul Parocho assistebat, *cit.* Barbosa *n. 10.* & Pirrhing *n. 45. in fine.*

Minus, imò ad rem nihil facit, *c. Literas cit.* partim; quia hoc ipsò, quòd in istius casu, conjuges consanguineos esse, non constaret, an spoliato Jus commune adversaretur, dubium, & non, ut in casu *c. Ad decimas cit.* certum erat: Ll partim

partim verò; quia, si priori textu de obiecta consanguinitate certè constitisset, mulieris, etiam sine Ecclesie iudicio, ac proinde indebitè dimissa, restitutioni ad evitandum peccati periculum procul dubiò obstitisset.

143. Dubium quartò & dissensio inter DD. est, an *e. Ad decimas cit.* decisio etiam laicos recuperandæ possessoriò super decimis agentes afficiat. Ratio dubitandi de Affirmativa est; quòd, si laici decimis spoliati, quoties Jus ipsis restitit & spoliatori assistit, restituendi non essent ante suæ possessionis justificationem, parochis daretur ansa liberè invadendi jura laicorum, eosque decimarum quasi possessione violenter deiciendi: quod neque æquum, neque conforme est Juri, restitutionis privilegium etiam prædoni spoliato indulgenti, *e. In literis cit.* De Negativa autem; quòd Jus commune, quoad decimarum perceptionem pro parochis militans, ipsis multò fortius, quàm Clericis, Ecclesiis & Monasteriis extraneis resistat; cum earum possessionis laici de de Jure sint incapaces, *e. Causam 7. de Prescript.* ac proinde, nisi eas privilegio Apostolico vel infeudatione, ante Concilium Lateranense factâ, obtentas, aut immemoriali tempore possideri, ostendant, nullatenus sint restituendi.

144. Posterior hæc ratio, in contrarium & pro laicis allatæ, ita prævalet; ut, si de propriè dictis, sive ad sacerdotum & Ecclesie ministrorum alimenta, & non merè profano intuitu introductis, aut à spirituali titulo perpetuò & irrevocabiler abstraxis, atque ita quodammodo secularizatis decimis, loquamur, intentum omnino evincat & solummodo discrimen faciendum sit inter decimas percipiendi jus, & immunitatem ab earum præstatione; cum enim quasi possessionis juris percipiendi decimas incapaces sint laici, secundum

e. Causam cit. super ejus spolio recuperandæ possessoriò adversus Parochum intentantes restituendi non erunt, nisi earum perceptionem justificent, exhibito titulo, vel istius præsumptionem inducente tanto tempore, cujus initium hominum memoriam excedit, ut cum Panornit. *in e. In literis cit. num. 24.* & Interppac DD. aliis docent *cit.* Covarruvias *cap. 17. n. 6.* Gutierrez *n. 57.* Canisius *n. 6.* Laiman. *Lib. 4. tract. 6. cap. 4. n. 3.* Barbosa *n. 20.* Pirrhing *n. 47.* & Engel *ad hanc Rubric. n. 4.*

Alia Ratio est immunitatis à præstatione decimarum ex propriis fundis; cum enim laici quasi possessionis hujus juris incapaces ullo Jure redditici non sint, eà à Parochis dejecti, ut restituantur, tituli exhibitio eò solum casu ab ipsis exigetur, quò in ejus immunitatis quasi possessione aliquamdiu duntaxat, & non multorum annorù longo tempore steterunt; cum, sicut Canonici extraneæ Ecclesie quoad decimarum, intra alienæ parochiæ fines provenientium, perceptionem, ita ipsis quoad immunitatem ab earum præstatione Jus resistat & parochis assistat, ut omnino locus sit exceptioni, à Regula, de spoliato ante omnia restituendo, productæ, *e. Ad decimas cit.*

Neque plus evincit pro laicis allatæ ratio; cum enim, quoties possessionis capaces sunt, eòdem, quò clerici & Ecclesie, Jure censeantur: & majori, quàm hæc, & illi; jurium suorum amittendorum discrimini expositi non sint, de Parochorum injuriis querendi causam non habent; quia isti, si quando ipsos dictæ immunitatis quasi possessione, aliquamdiu duntaxat & ex Juris præsumptione injustè obtenta & retenta deiciant, non temerè, sed ex permissione Juris saltem tacita agere videntur, ut inlinuat Canisius *l. cit. n. 8.*